
Digitized by Google

LVI
E
29.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVI
E
29
NAPOLI



Hiſtoria Chronologica PANNONIÆ:

RES PER HVNGARIAM ET TRANSYLVANIAM,

iam inde à conſtitutione Regnorum illorum, vſque ad inuictiſſ. Rom. Imp. RODOLPHVM II. Hungariæ Regem Chriſtianum XXXX. & Sereniſſ. SIGISMVNDVM Bathorium, Tranſyluaniæ Ducem, maximè vero hoc diuturno bello geſtas:

ICONES ITEM VITASQVE ET VICTORIAS, Regum, Ducum & procerum, tam Chriſtianorum quam Turcicorum, à Ioanne Iac. Boiſſardo Veſuntino delineatas, continens.

AD ANNVM VSQVE M. D. CVII. CONtinuata & deducta, Studio & opera

M. Gotardi Arthus Dantiſcani.

ADDITA EST TABVLA CHOROGRAphica totius Hungariæ noua, effigiationes item topographicæ aliæ, in æs artificioſè inciſæ & in lucem datæ, per Theodori de Bry relictam viduam & filios hæredes.

FRANCOFVRT [illegible] D. CVIII.

THEODORUS ET *ISRAEL DE BRY, FRA-tres, Lectori benevolo ſalutem dicunt.*

ANimadvertimus Lector benevole, hiſtoriam hanc Chronologicam, quam Theodorus de Bry parens noſter piæ memoriæ, ſuperioribus annis in lucē dedit & evulgavit, rerum tantummodo ad annum 1596. uſque geſtarum commemorationem, continere. Cum igitur ob defectū exemplarium feliciter hactenus diſtractorū, neceſſitas poſtulare videretur, ut ſub prælū ea iterum daretur, & multi eſſent, qui ejus ſibi copiam fieri ſubinde expeterent, addita continuatione, eam complere, & cum pacis tractatione inter Chriſtianos & Turcas Añno 1606. habita, finire voluimus. Addidimus vèro etiam pro majori operis exornatione & lectoris oblectatione, icones & imagines aliquot, in æs artificioſe inciſas, cōfidimuſque omnino fore, uti ſtudium hoc

noſtrum gratum ſibi & acceptum hiſtoriarum amantes habeant, & ad majora melioraque quæ ſub manibus habemus, propediem abſolvenda, calcar nobis & incitamentum addant.

PROGNOSTICON

ANTONII TORQVATI FERRARIEN-SIS PHILOSOPHI, MEDICI ET ASTROLOGI CLARISſimi, cuius Turcæ aduerſus ſe ſcripti, & ab Vngaris iactati, in ſuis Hiſtoriarum monumentis ipſimet mentionem feciſſe dicuntur. Eius initium tale eſt.

AD IMMANISSIMOS TVRCAS
rationem meam conuertã: quos longum, la
tũ & magnum imperium, divitiarũ magni-
tudo, frequentia victoriarũ & gloria in tan-
tum extollet, eorumque animos & ſpem ſic elevabit, vt
ſibi putaturi ſint nec cœlum reſiſtere poſſe. Atq; idcir-
co ad totius orbis imperium aſpirabunt. Aſſyrios & Æ-
gyptios maximis prælijs fractos ſuperabunt. Armenios,
Parthos & Perſas continuis præliis moleſtabũt. Pluries
aduerſus eos victores & ſuperiores euadent, & quando-
que ſuccumbent. Magna ſtrage ſuorum in Chriſtianos
arma mouebũt. Et paruo interuallo, ipſe etiã annus qui
Chriſtianos dicitur ſummo gaudio affecturus, utpote
voti cõpotes facturus, indicatur. Perſequar itaq;. Vene-
tis primũ multa inferẽt damna, poſt eorũ amici facti Bel
gradũ in ditionẽ recipient, Rhodum ſuperabunt. Pan-
noniam & Vngariam multis cladib. afficient. Tandem
vim cõminantes, regnũ Vngarorum lacerantes, ſimul-
que Imperium Romanũ Germanumq; diutiſſimis bel-
lis tentantes in eorum manus cadent. Annus erit Chri-
ſti 1594. vel 1595. Verũ & alia quædã mala anteq̃ hoc bo-
nũ cõtingat, ab illis impendere ait. Subiũgit. n. Sed pri
us Apuliã intrabũt, Siciliam, Galliæ Hiſpaniæq; littora
claſſe ſua, nec non Italiam moleſtabunt & affligent. Ti-
morem magnum Chriſtianis immittent. Sed Chriſtus
tandem ſuorum ſtragem non ferens, &c. Plura qui deſi-
derat, autorem ipſum conſulere ſuper ijſdem poterit.

Finis Prognoſtici Antony Torquati Ferrarienſis Itali Philoſophi, Medici & Aſtrologi clariſſimi, annis ab hinc centum ante ab ipſo publicati

VATICINIVM

TVRCARVM, QVOD ANTE ANNOS COMPLVRES CONSTANTINOPOli prope templum S. Sophiæ in Turri quadam ruinoſa ſuper corticè arboris ſcriptum repererunt: At nunc Chriſtianis ea quæ ſequitur occaſione communicatum.

ANNO 1595. in Octobri Agrienſes Vicum infra Budam nobilem, Sagadinum nomine diripientes, aliquot Chriſtianis libertati reſtitutis, filium Bauari cuiuſdam, qui annis viginti à Turcis captus Conſtantinopoli commoratus fuerat, inter eos offenderunt. Is Vaticinium, à Turcis vt ipſe aiebat, ſæpius grauiſſimo animi affectu examinatum, quod ſub Sultano hoc Mahomete II. Anno 1597. aut ad ſummum anno Chriſti 1602. in effectum credunt deductum iri, penes ſeſe habuit, illudque à ſe ipſo in Latinam & Germanicam linguam ex Turcico idiomate conuerſum noſtris hominibus communicauit.

VER-

VERBA TVRcicæ prophetiæ.	EADEM IN LATINVM conuerſa.
	Imperator noſter
Paris ſahoms	veniet,
ghelur,	Ethnici principis
Chaferum	regnum capiet,
memleketi	rubrum quoque pomum
alur	capiet & in ſuam po-
Kurulamai	teſtatem rediget.
alur	quod ſi in ſeptimum vſque
Kapzeiler	annum (qui denotat 97. an-
icdiy	num) Chriſtianorum
Ladech Giaur	gladius non inſurexerit
Keleci eiſiſmſſe	vſque ad
oriki	Duodecimũ (qui denotat annum
ylalech.	12. poſt 90. eſtq; annus 1602.
on larum	eis dominabitur:
Begligheder	domos ædificabit:
enſiapar	Vineas plantabit:
Bagidker	Hortos ſepibus muniet:
Babcſai baghlar	liberos procreabit
Ogludkeſi	poſt duodecimum
olur	annum
on Kiyl	ex quo
denſzora	rubrum pomum in
H.ſtria	illorum poteſtatem re-
non Kelicer	dactum fuerit appa-
eſikaur	rebit Chriſtianorum gladius,
ol Turcki	qui Turcam
ghereſine	quoque verſum
Thuſkure	in fugam conuertet.

SYMBOLVM THEODORI DE BRY- LEODIEN.

Hei quantum à primo miſeri mutamur Adamo!
  Ver illi æternum riſit,& alma quies.
At nunc cura homines facit irrequieta beatos,
  Huc ratio,huc omnis vis ſubit ingenij.
Scilicet vt corpuſque animamque & cætera ſerues,
  Res tibi cum curis perpetuata venit.
Parua ſed ingentis formica laboris imago
  Exemplo hæc nobis dat documenta ſuo.
At mihi quando animæ dabitur curare ſalutem ,
  Non me deficient quas colit orbis opes.
Quin ea Chriſticolas nunc vnica cura fatiget,
  Qua Scythicum reprimant excutiantque jugum.
Tu Devs ô mentem meliorem & ſobria noſtris
  Pectora,pro meritis ah grauiora,dabis.
Vt crudele queant procul euitare flagellum,
  Teque Redemptorem concelebrare Devm.

F I N I S.

THEODORVS DE BRY AD CANDIDVM LECTOREM.

CVM ſuperiore anno Ianus Iacobus Boiſſardus Veſuntinus ad me miſiſſet librum Iconũ, in quo vitæ aliquot illuſtrium peregrinorum virorum, regum, & Satraparum continentur; & eo maximè Turcicorum Principum hiſtoria, à ſua prima origine vſque ad noſtra tempora ſuccinctè quidem, ſed accuratè deſcribitur: cumq; hunc laborem multis doctis viris probari, & laudari animadverterem, Scripta quę ad me miſſa erant, cum ſuis imaginibus meis impenſis aheneis typis exſculpta non ſolum in lucem emittere volui, verum etiam, vt opus aliqua adiunctione ornarem, addidi hunc tractatum de rebus Hungaricis, quem à probatiſſimo autore Germanica lingua conſcriptum, in Latinum ſermonem converti curavi, vt cum Boiſſardianis iconibus ſimul excuderetur. Neque abs re id factum eſſe quiſquam judicabit, cum à centum annis, & amplius Hungariæ regnum ſub Amurate, ſub Selymo I. ſub Solymanno, Selymo II. & Amurate III. tantas viciſſitudines paſſim legamus & videamus, tantis motibus perturbatum, tot proditionibus concuſſum, tot incurſionibus abactis vndique prædis depopulatum & exhauſtum, vt quod olim florentiſſimum opulentiſſimumque fuit, quodque ſo-

lum propugnaculum opponi poſſe credebatur Turcicæ potentiæ, nunc ex maiori parte à barbaris occupetur, permittente id divina providentia, propter noſtram ingratitudinem & peccata, quibus Deum quotidie ad vltionem provocamus. Reliqua quæ ſupereſt miſeræ provinciæ pars, quotidie magis ac magis exagitatur, & diſcerpitur ab iiſdem Turcis, dum Chriſtiani reges & Principes mutuis inimicitiis inter ſe exardeſcentes Rempublicam Chriſtianam deformant, & funditus evertũt: non agnoſcentes, dum ambitioni & avaritiæ ſuæ inſerviunt, truculentiſſimo Chriſtiani nominis hoſti fores aperiunt, per quas in noſtram perniciem, & ruinam omnium fidelium irrepat ſecurus. Et in Græcorum Imperatorum exemplo poterant diſcere, qui ſuis ſimultatibus indulgẽtes, barbaros ex Aſia in Europam admiſerunt, per quos tandem oppreſſi ſunt. Verendum eſt, proh dolor, ne & noſtri eadem mentis caligine cæcutientes, dum ſe hoſtiliter invicem impetunt, vexant, & opprimunt, in præcipicium ruinæ inevitabilis, cui proni incumbunt, devolvantur: citiusq; opprimantur à communi omnium hoſte, quam eius advẽtum poſſint præſentire. At ille iam in ſpeculis incubat, vnde bella noſtra civilia, & furores tragicos proſpiciat, expectetque opportunam occaſionem invadendi non ſolum victos, ſed etiam victores opibus ſuis viribusque ſpoliatos. Quæcunque enim bella inter nos geruntur, ea cum noſtra pernicie & damno finem ſortiuntur lamentabilem, & exitium ſecum attrahunt, quod effugi vel evitari nullo modo poteſt. Dum Galli & Belgæ inteſtinis diſſidiis inter ſe furenter ſæviunt, implacabilibusque diſcordiis exæſtuant iam per annos triginta, dumque partes diſſidentium regum tutantur Germani, Itali, & Hiſpani,

nonne

nõne toti⁹ Chriſtiani orbis nobilitas fere ad internecionẽ cæſa eſt, regnorum omnium robur, facultates & opes exhauſtæ ſunt, nihilque videamus vbique quam ſolitudines, vrbium devaſtationes, & everſiones omnem religionem corruptam, loca ſacra profanata, & æterno piorum dolore cultum divinum fere vbique aut deſertum, aut corruptum. Quid enim in his belli furoribus integrum relinqui poteſt? Progreditur interim, in dies magis ac magis hoſtis publicus, & ex noſtris damnis & contentionibus ſuam adſtruit victoriam, & triumphum præparat. Et iam in periculum venerant noſtri anno ſuperiore, Turcicis copiis Hungariam depopulantibus, Auſtriæque imminentibus, & ditiones vicinas abactis prædis, abductisque in calamitoſam ſervitutem incolis, diripientibus difficulterque ex hac clade ſe exemiſſent, niſi Deus ſuorum miſertus, & piorum precibus delinitus, Muratem eius nominis tertium Conſtantinopolitanum Imperatorem maturè ſuſtuliſſet, qui in ruinam Chriſtianæ Eccleſiæ, & Imperii noſtri coniuraverat. Neque eius morte liberati videbamur tam horrendo metu, ſuperſtite Muchemete Muratis filio. Qui vt erat Princeps elato animo, crudeli, ambitioſo & ad res arduas aſpirante, Imperium Turcicum adeptus, decreverat bellum à patre cœptum perſequi, & in ſuam poteſtatem redigere reliquias Pannoniæ, ſubvertere Imperium Germanicum, Romaque expugnata, templa ſacra in Muſulmannicas Meſſitas convertere; & vt breviter dicam nomen Chriſtianamque religionem penitus extinguere & abolere, ſuperinducta Mahometiſtarum doctrina, quæ fere totum orbem terrarum inundavit. Deus tamen qui hominum conſilia, conatusque mortalium de cœlis contemplatur, & irritos, quoties lubet, reddit,

tyrannum in noſtrum excidium incubantem vita privaſſe dicitur, antequam cœpto operi ſummam manum imponeret. Nam cum poſt paternam, mortem Otmannorum conſuetudine & inſtituto, novemdecim quos habuit fratres, vt ſolus rerum potiretur, trucidaſſet, neque paternis amicis, vxoribus, & conſiliariis parceret, à ſuis Principibus, & bellorum ducibus, quibus eadem pericula impendebant, vita & imperio privatus eſſe dicitur. Hac ratione belli inchoati ardor ex aliqua parte extinctus eſt, & Turcarum audacia refrænata. Credendum eſt id non caſu, ſed Dei clementis providentia contigiſſe; vt tempus commodum reſipiſcendi nobis daret, & conſilia ad colligendas Chriſtianorum vires, quas hoſti tam potenti tempeſtivè opponant. Et iam feliciter anno ſuperiore factum erat ad Strigonium, vbi memorabili clade Turcas affecit illuſtriſſimus Comes Carolus Mansfeldius, omniumque animos in ſpem meliorem erexerat: Hunc tamen, magno Chriſtianorum damno, ad ſe Deus evocavit, neque permiſit generoſum Heroem adepta pleniore victoria meritum reportare triumphum; quem fortaſſe alij reſervat, dummodò noſtra ambitio, ingratitudo, ſocordia, & puſillanimitas hanc beatitudinē nobis non invideat. Oportebit Principes Chriſtianos pios & magnanimos operam dare, vt felicia cœpta ad feliciorem promoveant exitum tam diu ab omnibus bonis expectatum, tot precibus & lacrymis efflagitatum: & hoc opus niſi voluntarie adgrediantur, timendum eſt ne neceſſitas eò illos adigat: niſi malint cum patria, vxoribus, liberis, aris & focis perire, quod omen Deus avertat: imo potiùs Eccleſiam ſuam protegat, & tueatur adverſus truculentam hanc belluam, & inſatiabilem Charybdin quæ inexpleta voragine violen-

lenter deglubit alienas provincias:& in his miſerabilibus tempeſtatibus, quibus tamdiu fluctuatur Chriſtiana reſpublica, attentè & auidè ad littus conſidens expectat, donec naufragos opprimat, & funditus demergat. Tu verò, Lector optime, hoc opuſculum placidè excipies; quod hac ratione aggreſſus ſum, vt oſtenderem quam ab exiguis principiis ortum ducentes Turcæ, ex Aſia in Europam diſſentionibus Græcorum irrepſerint, paulatimque mutuis bellis debilitatos victum victoremque ſimul oppreſſerint. Chriſtianorumque regna poſtea ita concuſſerint, vt longè lateq; dominentur, & iam noſtræ Germaniç, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ & Angliç inhient: deq; invadendis & occupandis tam florentibus ditionib' cōſilium ſumāt, ſi Hungariam, cuius hic deſcriptionem inſtitui, ſuæ ſubiicere poſſint poteſtati. Deus altiſſimus & potentiſſimus, qui Deus eſt exercituum, per quem Imperia regnaque cōſiſtunt, & conſervantur integra, noſtri miſereatur, tyrannumque immaniter graſſantem procul à nobis avertat: eiusq; vires & potentiam infringat, ſuamq; Eccleſiam ſalvā & incolumen in perpetuum ſervet.

COMPENDIVM HISTORIÆ RERVM VNGARICARVM: INTERPRETE TEVCRIO ANNAEO Privato, C. ex Germanico, in Latinum.

PANNONIA, quæ hodie Vngaria dicitur, à varijs olim Nationibus culta fuit.

Anno Diluvij 155. *Sambuci appendix*

Anno poſt Diluvium 155. BANNO Iapetho Nohæ filio prognatus, primus in his terris regnum ſibi conſtituit, à quo Pannoniæ nomen inditum quidam arbitrantur: Sunt tamen, à Pannonio monte, vulgò S. Martini titulo, illud deducant: VNGARIA ad annos 500. ſub Romanis fuit, nec deſunt Imperatores qui Natales ſuos huc referant, vtpote Aurelianus, Maximinus, Probus, Diocletianus, Iovianus, Valentinianus, Valens & Gratianus,

TYBERIVS Romanorum Imperator III. imperante adhuc Octavio Auguſto, circa tempora Nativitatis Dominicæ, Auſtriam, Stiriam, Lacum Peiſonium, Balathoniumque cum Schumate ſub Romanorum Imperium redegit.

CLAVDIVS Romanorum Imperator V. Pannoniam ſuperiorem à Poſonio vltra Colozam vſq; devicit.

TRAIANVS Daciam ſubjugavit.

Schutta Inſula

Legio quarta Germanica per Schuttam Inſulam caſtrametata fuit, vt Quados à finibus iſtis arceret.

Vngaria deficit à Romanis. Fodinæ metallicæ defecerunt à Romanis Imperatoribus ſub Aureliano & Valentiniano.

PANNONIA INFERIOR, tẽpore Mariani defecit.

Varia Nationes incolũt Vngariam. PANNONIA SVP. quæ Auſtriæ vicina eſt, tempore Iuſtiniani ſe Attilæ Regi adiũxit, Cymerij enim Gallogręci, Pannonij, Galli, Sarmatæ VVindi, Hunni, Gothi, Suevi, Avari ſive Abiri & Bulgari ſucceſſive has terras invadentes incoluerunt.

VVolf. Lazio Abrah. Babſc. Anno 373. HVNGARIÆ nomẽ ab Hunnis deduci putant: Hunni enim Anno Chriſti 373. Scythiam Aſiæ, patriã ſuam propter ſoli ſterilitatẽ & hominũ multitudinem deſerentes, Pannoniam temporibus Valentiniani & Valentis ingreſſi ſunt, & plures eorum quam decies centena millia ſimul cum vxoribus liberis, armentis & ſuppellectile, capti amænitate & fertilitate loci ſedes ibi fixerunt.

Anno 401. Anno 401. Cum ARCADIVS IMP. Romæ eſſet, Hunni duce ſuo & præfecto belli Kevva, cruentum bellum contra Macrinum, cui Romani eam provinciam commiſerant, ſuſceperunt: Macrinum ipſum, ſimulque Thetricum, qui Macrino ſuppetias tulerat, cum multis Italorum millibus trucidarunt. Hunnorum quadraginta millia eo bello occubuerunt, amiſſis inſuper Principibus ſuis Bela, Kemẽ & Kadictia.

Anno, 428. Anno 428. ATTILA primum Vngariæ Regẽ elegerunt, is Germaniæ, Italiæ, aliisque Nationibus infinita pene vulnera inflixit.

Lazio. Attila autem morte ſublato Hunni inter ſe diviſi ſunt, vt ſcribit Iordnandes & VVaidmarus, & occupantes planiciem eam, quæ inter Budam eſt, & VVeiſſenburgum eſt hic dominabantur.

Anno 805. An. 805. CAROLVS MAGNVS Hunnos per Pãnoniam

am funditus delevit, & ut ſibi in futurum caveret, Arnoldum conſanguineum ſuum, qui poſtea Imperator factus eſt Auſtriæ Principem conſtituit. Vladiſlao verò inferioris Moraviæ Principi Pannoniam inferiorem regendam tradit. Vladiſlaus Presburgum ex ruderibus oppidi, cuiusdam Romani jam olim diruti, ac ovilis ſpeciem ſolummodo repręſentantis erexit, eamque Poſonium dixit. *Poſonium conditum.*

Alii quoque affirmant, eos, qui hodie feruntur Hungari, ab illo Hunnorum genere propagari, quod Anno Chriſti 899. vel 900. quarta vice Pannoniam invaſit: tunc enim Hunni imperante Arnolpho Schytiam egredientes, coniunxerunt ſe cum reliquis conterraneorum ſuorum qui ex prioribus remanſerant. *Anno 900.*

VNGARIA à SEPTENTRIONE Moraviam & Poloniam habet, in quorum confinio montes ſunt prælti; quorum Nomina hæc ſunt: der Vatter / der Münch / der Wurtzgrund / der Schneeberg / ac ſi dicas, Pater, Monachus, Vallis aromatum, mons nivium, &c. qui auri, argenti atque cupri hodie etiam venas habent, ſicuti videre eſt Chemnitii, Shemnitij &c. & in reliquis locis, quę in tabula noſtra Chorographica malleo inſignita ſunt: Finis eos promiſcue Germani, VVindi & Vngari habitant, Ab ortu habet Vngaria Tranſylvanos ſibi vicinos, à meridie Raſciam & Boſniam: ab occaſu Auſtriam. *Latzio. Confinia Vngariæ.*

Tres ſunt omnino ordines in Vngaria: Eccleſiaſticorum, Nobilium, qui milites ſub ſe habent, & Ruſticorum. *Ordines Vngariæ.*

Regio aërem habet temperatum, vinum generoſum, frumentũ, pecora, piſces, ædificia ſplendida, & quæcũq;

tum vitæ ſuſtentandæ, tum recreandæ vſui eſſe poſſunt, adeò vt teſte Bonfinio omnes alias regiones, quotquo ſub cœlo ſunt, jure ſuo excellat.

Laus Vngariæ.

VNGARIA habuit ab Anno Chriſti 969. vel ſecundum alios 990. ad annum vſque præſentem 1595. quo invictiſſimus Imperator RODOLPHVS II. rerum potitur, Reges Chriſtianos quadraginta, quorum nomina & res geſtas ordine perſtringemus

40. Reges Vngariæ Chriſtiani.

POLITICA ADMINISTRATIO regni huius, poſt Regiam Maieſtatem, eſt penes Comitem Palatinum, qui proximus eſt â Rege, & olim poteſtatem habuit Regem ipſum regno exuendi, ſi minus is regiam ſuam maieſtatem tueretur. Dignitas ea non eſt hæreditaria in ſobolem, ſed liberæ electionis.

VVolf. Latzio.

Palatinus.

IVDEX CVRIAE ſequitur proxime Palatinum, CANCELLARII duo ſunt: Alter cuius Dignitas hæreditaria eſt, quam Archiepiſcopus Strigonienſis per ſucceſſionem ſibi acquirit: Alterũ Rex pro ſuo natu cõſtituit.

HOS SEQVITVR Magiſter Curiæ.

QVINTA DIGNITAS ea eſt, quam Magiſter Thaverniorum Regalium obit.

SEQVITVR MAGISTRATVS.

VICE-PALATINVS.

VICE-IVDEX curiæ, qui eſt Iudex perſonalis præſentiæ.

PROTONOTARII tantem tres.

PRAETER HOS SVNT IN AVLA REGIA.

Magiſter ærarij.
Camerarius.

Magiſter

Magiſter equorum ſive ſtabuli.
Magiſter Pincernarum.

Verum cum regnum ipſum latè pateat, moleſtiſſimum foret ſubditis, ſi curiam Regiam adeò ex longinquo ſequi cogerentur: proinde per vniverſum regnũ ſpecialia quædam judicia conſtituta ſunt, ea Vngari Comitatus, Germani conventus vocant, talis eſt.

I COMITATVS Muſnenſis, cui nomen eſt à villa Muzom, paula infra Ovvaram ſita.

II COMITATVS Sopronenſis, aliâs Iaurinenſis *Iaurinum.* ad Danubium, ab Iaurino oppido, quod Araba flumen præterlabens, cum Danubio illic commiſcet.

PAVLO VLTERIVS verſus Danubiũ eſt Poſonium, inſigni Epiſcopatu nobile, quod Vrbanus Præfectus *Poſonium inſtauratum.* ærarij, apud Regem Matthiam magnificis ædificijs exornavit. Non procul ab Iauro aſſurgit mons Pannonius, qui *Pannonius mons, S. Martini aliâs.* Templo auguſtiſſimo S. Martino conſecrato celebratur: idem mons regioni nomen feciſſe à plæriſq; exiſtimatur.

III COMITATVS Caſtri-ferrei.

IV COMITATVS Zaladienſis, vltra lacum Balathonem: Eſt aut cis lacum, ſi noſtram plagam reſpicias *Bonf. lib. 1. Decad. 1.* (ſi quidem Bonfinius qui horum autor eſt. Budæ hiſtoriam ſuam conſcripſit, qua ratione multi Geographorum falluntur in Thihan, locum illi vltra lacum aſſignantes, *Thihan cis lacum Balathonem.* cum ſit ſecundum Bonfinium in noſtris partibus) Lacu ipſo fere circumquaque includitur Thihan Cherſoneſus, quæ ex piſcium abundantia, ex aëre ſalubri & temperata conſtitutione, temploq; magnificentiſſimo Andreę Regis ſumptibus olim extructo, eiusdemq; Regis ſepultura admodum celebratur.

V. COMITATVS VESPRINENSIS nomen *Veſprinum.*

ſuum à Veſprino civitate adeptus, quam olim German ab albis fontibus ita dixerunt.

Alba regalis. VI. COMITATVS ALBENSIS illi proximus eſt, cui Alba regalis nomen fecit, ea vrbs plane in vligine & loco paluſtri ſita hoſtibus difficilem admodum acceſſum præbet. Templum S. Stephani primi Vngariæ Regis viſitur ibi ſplendidiſſimum. *Sepultura Regu Vngariæ.* Hui⁹ loci Epiſcopus ex regis Stephani indulgentia, maximis privilegiis gaudet, nec enim niſi Papam ſuperiorem agnoſcit, nec ſubditi decimas ſuas, præter ſummi Templi Capitularibus ulli exoluunt.

Collocza. VII. COMITATVS COLLOCRIENSIS nomen ab Archiepiſcopali Civitate Collocza invenit.

VIII. COMITATVS PILISSIENSIS vergit ad Danubium, huius territorium totam montoſum eſt vini feraciſſimum; licet idipſum propter Thermas propemodum ſulphur oleat, ebrietatemque facile inducat.

Eo in loco ad vtramque Danubij ripam conſpicitur vtraque Buda, Nova videlicet, & Vetus à Budinis antiquiſſimis Scytharum populis extracta, eadem quondam Sicambria dicebatur. Quando ſub rege Matthia fundamenta arcis reginæ Beatricis ponerentur, effoſſum fuit ſaxum pluribus Characteribus deſcriptum, eius rei indicium.

Vicegradum. VICEGRADVM arx regia, quæ olim & civitas & ſedes fuit regia, tribus à Buda miliaribus ſita Matthię regis ſumptibus à fundamento reſtaurata eſt. IN EODEM conventu Sabaria eſt S. Martini patria, vrbs omnium antiquiſſima, quæ Sambathe vulgò nuncupatur. *Sabaria S. Martini patria.*

IX. COMITATVS Strigonienſis à Strigonio metropoli Vngariæ dictus. Vrbs ea duo Templa ſumma includit magnificentiſſima, quorum alterum Archiepiſcopatum habet, à rege Stephano in loco editiſſimo, prope *Duo ſumma templa Strigonij.*

arcem

arcem extructum: Alterum in civitatis planoq́ſitum fundavit Bela IIII. rex Vngariæ.

X. COMITATVS Tholnenſis ad Danubiũ,ibi ſunt tres Abbatię,villis undiquaq; quam pluribus circundatæ.

XI. KEMARIENSIS COMITATVS, nomen à Romana Scytharum vrbe ſortitur, ea in inſula Scutta conſpicitur, quam Danubius utrinque alluit:in hoc conventu THATA eſt, quæ & Dotis appellatur. Ibidem regia arx tanto cum apparatu prominet, vt non immeritò quibuscunq; alijs Principũ caſtris & palatijs præferẽda ſit. *Thata Dotis arx munitiſſima.*

EAM AB VNA parte ambit Lacus 7000. paſſibus patens, Lucijs & Cyprinis fœcundiſſimus. Arx ipſa novẽ intra ſe molas frumentarias cõplectitur. In veſtibulo arcis exigua quædam area eſt, quæ circũmquaq; hypocauſta & cubilia tota deaurata oſtentat. Lacunar ſeu contignatio ſumma puro auro incruſtata & emblemate vermiculato, teſſelatoq; opere mire exornata eſt. Ab vtroq; arcis latere ſingulę ſunt ſumma templa, ſingulę villæ ſatis conſpicuæ; prætereа eam ſylvæ cingunt amœniſſimæ & feris abundantes. Nec procul à Danubio veſtigia quędam Romanarum Legionum etiamnum apparent: Ab altera parte foſſas habet bis cingentes, ex ſolido ſaxo exciſas, ad quas altiſſima propugnacula ſurgunt.

Atque hæc dixiſſe de ijs quæ cis Danubium ſunt hoc loco ſufficiat.

XII. Poſonienſis Comitatus nomen à Poſonio habet.

XIII. Nitrienſis ab Epiſcopali civitate Nitria.

XIV. Turoczenſis, ferrum gignit in copia.

XV. Comitat. Scepulẽſis Polonos maxime vicinos habet.

POST HOSCE NVMERANTVR.

XVI. Ziptonienſis.

XVII. Novizdienſis.
XVIII. Hornenſis.
XIX. Honenſis.
XX. Novigradienſis.
XXI. Peſthienſis.

ECCLESIASTICA ADMINISTRATIO.

Eccleſiaſtica adminiſtratio per Vngariam antehac fuit penes duos Archiepiſcopos, quorum alter Strigonium, alter Colloczam habitat.

Strigonienſis Legatus fuit Apoſtolicus & primarius regni. Is tanquam ſummus Regni Cancellarius, magnum regis ſigillum cuſtodit; ſub eodẽ ſunt XI. alij Epiſcopatus: quos omnes Turca occupavit, exceptis Nitriẽſi & Agriẽſ.

Sunt autem:

Iaurienſis,
Veſprinenſis,
Agrienſis,
Nitrienſis,
Vacienſis,
Sirmienſis,
S. Eccleſienſis,
Zagrabienſis,
Tranſylvanienſis,
Boſnenſis.
Chonadienſis.

GAYSCA REX VNGARIAE.

Gayſa S. Stephani pater primus rex Chriſtianus.

GAYSCA SIVE GEYSE Pater S. Stephani Regis Vngariæ, primus regum Chriſti fidem profeſſus, baptizatus fuit ab Adelberto Epiſcopo Pragenſi.

Anno 909.

Anno Chriſti 909. vel ſecundum Abrahamum Babſca, Anno 969. naſcitur Stephanus, qui tandem canonizatus fuit, baptizatur per dictũ Epiſcopũ Pragenſem.

Circa eadem tempora Theodatus Princeps Apuliæ, quem Rex Geiſa profugum in aula ſua alebat, quique Stephanum infantem ex ſacro Baptiſmatis fonte ſuſceperat, Cœnubiũ quod cũ adiuncto pago extruxit, nomẽ fundatoris

toris ſui, Italice Thata obtinuit, noſtro autem ſeculo appellatione Dotis innotuit. *Dotis condita.*

I. REX VNGARIÆ.

Anno 954. vel ſecundum alios 1006. D. Imperator Henricus ſororem ſuam Giſetam Regi Stephano in matrimonium locavit: poſt hæc univerſa Vngaria ad Chriſtum converſa eſt. Rex ipſe ſanƈte vivebat, ſummum templum in monte Strigonienſi condebat, illudq; liberaliter dotabat. Adhæc S. Martini cœnobium in altiſſimo monte locabat; Templum item ſummum in Alba regali, ſepulturam Regum, compluresque alias fundationes, plane regia munificentia fieri curabat. Obiit Anno 1038. ſepultus Strigonij in ſummo Templo. *S. Stephanus primus Rex Chriſtianus Vngariæ.* *Obijt Anno 1038.*

II. Rex.

PETRVS Stephani ex ſorore nepos in regno ſuffeƈtus eſt, ſed propter tyrannidem inde ejicitur, cui Abba ſucceſſit. *Petrus obijt Anno 1047.*

III.

ABBA triennium ad regni gubernacula ſedit, ſed cùm maiorem quã anteceſſor tyrannidem exerceret, Petrus Abba expulſo reſtituebatur. Illo rerum potiente Vngaria paulatim à fide Chriſtiana deficiebat. Regnavit autem Petrus annos quinque, menſes ſex: Abba verò annos tres: moritur Anno 1047.

IIII.

ANDREAS Regi Stephano junƈtus ſanguine Chriſtianiſmum reſtituit, filios habuit Salomonem & Davidem. Salomonem in regem coronari fecit, cum quinquennis eſſet, propterea, quod cum Bella fratre de regno dimicare cogeretur. Occiditur

Anno

Anno 1062. Anno 1062. Sepelitur in Thihan in S. Amiani cœnobio, quod ipſe ad lacum Balathonem condiderat, Anno 1059. *Thihan extructum an. 1059.*

V.

Bela Regis Andreæ à ſe bello devicti frater, ægre ferebat Salomonem in regem coronatum, tres enim habebat filios: Geiczam, Ladiſlaum, poſtea reges & ipſos, & Lampertum. Hic monetam argenteam primus cudi fecit: pondera & menſuras eſſe juſſit, & mercibus quibuscunq; ſuum precium indicavit. Egregium illud cœnobium in Zeuukzardo condidit, in quo ſepultus fuit. Dicitur Bela hic dum arma in fratrem moveret, Cæſarem Henricum fratri eius auxiliares copias adducentem, in montibus quos vertentes ſeu verthiſes vocant, adeo obſediſſe, & ad tantam rerum omnium inopiam compuliſſe, vt Cæſar ipſe caſtra deſerere, ſcuta præjicere, & terga vertere coact⁹ fuerit. Vnde montibus id nominis poſtea inhæſit. Obijt Anno 1065. ſepelitur loco, quo dictum fuit ſupra.

Obijt Anno 1065.

VI

SALOMON Regis Andreæ filius in regno quidem ſucceſſit, rerum à fratris ſui defuncti filijs Geicza & Ladiſlao inde expellitur Anno 1077. Eremita ergo factus obiit Polæ in Iſtria, vbi eius ſepulcrum apparet. *Obijt Anno 1077.*

VII

GEICZA REGIS Belæ filius natu maximus, duos habuit filios. Colomannum, poſtea Regem factum, & Almum. Huius temporibus ingens fuit fames per Vngariam: Obiit Anno 10 ;0. Sepelitur Vaciæ, cuius ipſe fundator fuit. *Obijt Anno 1080. Vacienſis Epiſcopatus.*

VIII.

LA-

LADISLAVS GEICZAE Regis frater, quem Vngari propter vitæ innocentiam Sanctum appellaverunt, Rex eligitur, ſuperſtite Salomone rege expulſo: Hic Dalmatiam & Croatiam Vngariæ adiecit. Cum Scythis crebra bella geſſit. Obijt abſque hæredibus Anno 1095.

Dalmatia, & Croatia Vngariæ adijcitur. *Obijt 1095.*

IX.

COLOMANNVS Regis Gæiczę filius, is ſecundum quorundam opinionem antea Epiſcopus VVaraſdinus fuit, & hinc diſpenſatione facta regnum obtinuit. Vngari hoc regnante graves & plurimas moleſtias pertulerunt, multorum enim malorum & magnæ tyrannidis autor fuit. Fratrem ſuum Ducem Almum & filium Almi Balam oculis privavit. Almum inſuper ipſum in templo occidi juſſit. Duos habuit filios Ladislaum & Stephanum. Poſtea regem factum: Male vixit, male perijt. Anno 1114. ſepelitur Albæ regali.

Colomannus fratrem & ex eo nepotem oculis orbatos reddit. *Obijt 1114.*

X.

STEPHANVS II. Colomāni Regis filius adoleſcens admodum regnum occupavit, ſubditi eum cognomēto Radium ſeu fulgurationem dixerunt, quod omnia cœco & concitato animi impetu perageret, is cum nullam ſobolem ex cōiuge ſperaret, nec vitæ ſuæ terminum longius abeſſe præſentiret, Monachus factus obijt Anno 1131.

XI.

BELA II. Cæcus dictus, Almi qui frater Colomanni Regis fuit filius, quam excœcari Colomannus fecerat, prudenter regni adminiſtrationem obivit Quatuor filios generavit, Geiczam, Ladislaum, Stephanum, qui tres poſtea in regno ſucceſſerunt, & Almum Borichum Regis Colomanni Spurium dimicantem armata manu in fu-

gam

Obiit 1141. gã vertit,pie deceſſit Anno 1141. ſepelitur Albæ regali.

XII.

GEICZA II. defuncti Regis Belæ filius natu maximus,adoleſcens pius repreſſit armis Saxones, Auſtriacos & Bauaros Poſoniam tum occupantes,Vngariamque depopulantes. Hoc regnante Poſonia à Germanis fuit habitata.Is regnum ſuum compluribus,iisque magnificentiſſimis Templorum ædificiis inſtruxit.Quatuor filios reliquit, Stephanum, Belam, ambos poſtea reges, Arpad & Geiczam.Obiit Anno 1161.ſepelitur Albæ regali.

Bauari Poſoniã occupant.

Obiit 1161.

XIII.

STEPHANVS III. Geiczæ regis ſecundus filius, arma contra Venetos in Dalmatia, contra Emanuelem etiam Græcorum Imperatorem, & contra ſanguine ſibi iunctos Ladislaum & Stephanum diverſis temporibus tulit. A conſanguineis ſuis profligatus obiit abſque ſobole Anno 1173.ſepelitur Strigonij.

Obiit 1173.

XIIII.

LADISLAVS II. Belæ cœci filius, ſex menſes regnavit,Stephano rege profugo adhuc ſuperſtite.

XV.

STEPHANVS IIII.Ladislai regis frater,menſes quinque regnavit victus: autem à Stephano III.ambo eodem anno ſimul vita exceſſerunt.

XVI.

BELA III.REGIS Stephani III.frater,Regis Geiczæ II,filius Vngariam à latrociniis perpurgauit.Duos habuit filios Emericum & Andream.Obijt anno 1196. Albæ regali vbi quoque ſepelitur.

Obijt 1196.

XVII.

EMERICVS REGIS Belæ III. filius, patrem ſtatim morte

morte ſecutus vnicum filium Ladiſlaum reliquit, ſepelitur Agriæ.

XVIII.

LADISLAVS III. Emerici filius ſex tantum menſes regnum poſſedit.

XIX.

ANDREAS II. REGIS Belæ, III. filius regis Emerici frater, quatuor liberos ſuſcepit ex coniuge ſua Gertruda, Belam, Colomannum, Andream, & filiam S. Eliſabetham. Rex ipſe in terram ſanctam expeditionem ſuſcepit, & feliciter cum Sultano Babylonienſi manus conſeruit, ob quod factum Hieroſolomytani cognomen reportavit. Anteque vero hanc expeditionem adornaret, Gertruda regina lethaliter per Banchianum Palatinum ſeu viceregem Vngariæ vulneratæ fuit: cauſa fuit, quod coniugem Palatini fratri ſuo ex Germania tum advenerat, regina ipſa ad libidinem eius nefarie explendam, adduxerat. Rex poſt expeditionem reverſus Palatini Eſtenſis filiam ſecundo ſibi matrimonio copulat, ex qua ſuſcepit Stephanum patrem Andreæ Veneti, qui poſtea in regnum ſuffectus fuit. Nobilitatem Vngariæ multis privilegiis & immunitatibus decoravit, fruique iiſdem fecit. Obiit Anno 1235.

Andreas Hieroſolomytanus.

Getruda lethaliter vulnerata

Marquis filia natu maxima.

Obijt 1235.

XX.

BELA IIII. REGIS ANDREAE II. filius: hoc regnante, quinquies centena millia Scytharum totam Ruſciam & Podoliam devaſtarunt: Inde Vngariam ingreſſi aliquoties Peſtham adorti ſunt. Rex ipſe Bela ex improviſo in caſtris deprehenſus habitu ſervili vix evaſit. Ceciderunt autē tūc viri primarij complures; inter quos fuerunt Archiepiſcopus Strigonienſis, Archepiſcopus Col-

Scytha devaſtant Ruſciam Podoliam & Vngariam.

Scythæ Strigonium occupant loczienſis, EpiſcopusNitrienſis &c. Scythæ dehincDanubium etiam traiicientesStrigonium expugnarunt,in quo vtriuſque ſexus & ætatis homines crudeliter trucidarunt. Triennio elapſo furioſi iſti & rabidi prædones repetentes Mæoticam paludem in patriam redierunt, & Mahometis traditiones poſt hæc amplexi ſunt. Bela Rex Vngariæ ope & auxilio equitum Rhodiorũ regno reſtitutus. Obiit anno 1275. ſepelitur Strigonii apud Franciſcanos. *Obijt Anno 1275.*

XXI.

STEPHANVS V. REGIS Belæ filius IV. ſecundo marte bella geſſit:vicit Regem Bohemiæ Othocarum: Regem item Bulgariæ, adhæc vniuerſamMyſiam ſibi tributariam fecit: Liberos reliquit Ladiſlaum & Mariã quæ SiciliæRegi Carolo nupta,CarolumMartellum ex eo ſuſcepit ,qui filium Carolum procreavit,poſtea Vngariæ regem factum. Stephanus obijt An. 1278. & ſepultus eſt in Inſula Buda. *Myſia tributaria.* *Obijt Anno 1278.*

XXII.

LADISLAVS IV. REGIS Stephani V. filius, dictus Kuunlazlo. Huius temporibus Scythæ denuo Vngariam invaſerunt, ferro & igne omnia Peſtham vſque miſere devaſtantes : Biennio tandem elapſo cum ingenti præda ad fines ſuos reverſi ſunt. Rex hic à Cumanis morte truculenta interemptus periit Anno 1291. *Scythæ denuo Vngariam invadunt.* *trucidatur Anno 1291.*

XXIII.

ANDREAS IV. STEPHANI,qui ex filio nepos erat Regis Andreæ II.ex cognomento Venetus:hic Auſtriã ſibi ſubiugavit, obiit Budę ubi in æde S. Ioannis Euangeliſtæ ſepelitur Anno 1301. Illo mortuo Pontifex Caroli Martelli filium optaſſet in regem Vngariæ. *Obijt Anno 1301.*

VVen-

XXIV.

VVENCESLAVS AB VNGARIS Ladiſlaus di
ctus, Regis Bohemiæ filius: Hic contra Carolum Martelli
filium eligebatur, ſed à Patre ſuo tandem in Bohemiam
revocatus fuit: Vngari enim diſcordes partim hunc i-
pſum, partim Carolum, partim etiam tertium quendam
regem Othonem Bavariæ Ducẽ ſequebantur, regno præ- *Tres reges Vngariæ.*
fuit circiter annos ſex.

XXV.

OTTHO DVX Bavariæ, & hic ex quorundam
gratia in regem coronabatur Albæ regali: regnum fere *Anno 1310.*
triennium obtinuit: Hunc Ladiſlaus Vayvoda Iazygum
captivum duxit, ſpoliavit, & regno eiecit.

XXVI.

CAROLVS ROBERTVS ſive Carolobertus, fi-
lius Caroli Martelli, quem Maria regis Stephani V. filia
peperit corona regia inauguratus eſt, Anno 1310. Is vicit
prælio Matthæum Comitẽ à Tinschen non procul à Caſ-
ſovia. Late Vngariæ fines protulit: Dalmatiam enim Cro- *Dalmatia Croatia, Servia*
atiam, Sertoiam, Ladomeriam, Ruſciam, Comaniam, *Bulgaria, Ruſcia & Boſnia*
Bulgariam & Boſniã poſſedit. Vixit in matrimonio cum *regno Vngariæ*
ſorore re Caſimiri Regis Poloniæ, ex qua Ludovicum genu- *adiecta.*
it, Anno 1319. Rege Carolo cum regina & liberis ſuis in
ipſo Paſchatis feſto diſcumbente in arce Vicegradi, Feli- *Arx Vicegradum Anno 1339.*
cianus nobilis aulicus in regem ſtricto gladio irruit vt vi-
tam ei eriperet: ob quod facinus re⁹ ſupplicio merito affe
ctus fuit. Anno 1339. Dux Ruſciæ Carolum regem Vice-
gradi inuiſit.

ANNO 1340. CASIMIRVS rex Poloniæ Affinẽ *1340.*
ſuum regem Carolum inviſit Vicegradi, & regnum Polo-
niæ Ludovico, Regis Caroli ex ſorore ipſius filio, quod

Obijt 1342. ipſe ſine prole eſſet, vltro detulit. Carol. obiit Anno 1342. ſepelitur Albæ regali.

XXVII.

LVDOVICVS REGIS Caroli filius, Rex fuit Poloniæ & Vngariæ, filium quidem nullum, filias autem duas genuit. Alteram Mariam Regi Bohemiæ Sigiſmundo nuptam, qui propter eandem regnum Vngariæ obtinuit: Alteram Heduigam Reginam Poloniæ. Ludovicus hic feliciter bella geſſit Iudæos omnes ex Vngaria eiecit. *Obijt 1382.* Obijt Anno 1382. ſepelitur Albæ regali in ſacello quod viuus ſibi fieri curaverat.

XXVIII.

MARIA filià rege Ludovici in locum patris ſucceſſit: ac Sigiſmundo regi Bohemiæ qui Imperator tandem creatus fuit, nupſit: Verum cum Sigiſmundus admodum adhuc adoleſcens eſſet, ipſa regina cum matre Eliſibetha regni adminiſtrationem interea obibat, quosdam Imperij proceres ſibi iungens, quorum nutu omnia peragebat: quod Vngariæ proceres moleſte ferentes, accerſebant Regem Neapolitanum Carolum, eique coronam regni deferebant: non multo autem tempore poſt, Carolus ſub ſpecie colloquij cum mulieribus iſtis reginis inſtituti occiditur, Italis ex tota Vngaria profligatis: Et regina regnũ recuperat: Sed ecce dum comitata matre ſua atque aulæ magiſtro reliquisque aulicis in regno circumveheretur, capitur à Ioanne Croatiæ Præfecto, qui Caroli Regis mortem vlciſci ſtatuerat. Is ergo interfectorem Caroli obtrũcat: Reginam ipſam cum Matre paſſis capillis trahens per ſolum raptat: Matrem flumine immerſam ſuffocat. Reginam autẽ carceri includit, atq; gynæceum eius ſcelerate proſtituit: tandem tamen metuens ſibi Reginam liberam

Carolus Rex Neapolitanus occiditur.

Mors Caroli vindicata.

Eliſabetha flumini immerſa perit.

ram dimittit. Quæ vbi domum reverſa eſſet, regem & maritum ſuum Sigiſmundum ex Bohemia cum magno exercitu adventantem videt: is Vngariam nullo prohibente occupat, & coronatur anno ætatis ſuæ X X. Quibus exactis expeditionem in Croatiam ſuſcipit Præfectum obſidet, captumque capitali ſupplicio afficit, atque ad eum modum mors vnius morte alteris expiata fuit. *Præfectus Croatiæ ſupplicio afficitur.*

XXIX.

CAROLVS II. Cognomento minor, Rex Neapolitanus, filius Andreæ qui frater erat Ludovici Regis, eligitur in regem Vngariæ, contra Sigiſmundum & Mariam, ſed inſtinctu reginæ Eliſabethæ per Blaſium Forgat Budæ in arce interfectus eſt, Anno 1385. *Carolus obijt Anno 1385.*

XXX.

SIGISMVNDO Vngariæ regnum à Maria, vt quæ eſſet ſine liberis, vltrò relinquitur. Maria expiravit Anno 1392. Sigiſmundus regnum occupat, & matrimonio ſibi jungit Comitiſſam Ciliæ, ex qua vnicam filiam Eliſabetham ſuſcepit, Anno 1396. Turcarum Imperator Bulgariam, quæ ad Vngariæ regnum pertinebat, armis occupat, cui Sigiſmundus Rex cum exercitu obviam procedens, partē eius provinciæ ſed non niſi multo cum ſanguine & aperto prælio recuperat, ceciderūt tū ad 20000. Chriſtianorum, Turcarum autē ad 60000. Chriſtiani tamen prælio victi ſunt: Rex ipſe vix fuga ſibi conſuluit. Anno 1401. Vngari regem ſuum carceri incluſerunt, qui liberatus poſtea regno reſtitutus eſt. Anno 1409. Sigiſmundus Rex denuo à Turca ſuperatur. Anno 1410. eligitur Romanum Imperatorem. Duas ſeditiones ruſticanas diverſis temporibus per Vngariam ſopivit. Obijt Anno 1437. AEtatis Anno 71. Sedit ad regni gubernacula in Vnga-

Obijt Maria Anno 1392.

20000. Chriſtiani à Turcis Cæſi.

1401.

1409.

1410.

Vngaria, ſimul cum coniuge annos quinquaginta & vnum.

XXXI.

ALBERTVS Archidux Auſtriæ vxorem duxit Eliſabetham, vnicam Sigiſmundi Imperatoris filiam, quam ex Comitiſſa Ciliæ ſuſtulerat, ex quo matrimonio regnũ ſimul Bohemiæ & Vngariæ obtinuit, atq; Romanorum Imperator inſuper eligitur. Duas ſibi filias progenuit: Eliſabetham quam Caſimiro Regi Poloniæ ceſſit: & Annam, quã VVilhelmo Duci Saxoniæ nupſit, anno 1438. Amurathes Turcarum Imperator in Vngariam impreſſionem fecit, cui obviam procedens Albertus caſtrametatus eſt vltra Danubium ſupra Perſtham. Imperator Diarrhęa in caſtris correptus, Budamque petens, feſtino gradu Viennã contendit. Sed in itinere in pago quodam non procul à Poſonia Neſimel vitam finijt, anno 1439. Prolem quidem maſculam nullam, Coniugem tamen Eliſabetham gravidam ex ſe reliquit. Quæ cum volens Vladiſlao fratri regis Poloniæ & Duci tũ Lituaniæ deſpõſata, eſſet interea peperit Ladiſlaum filium & naturalem Vngariæ hæredem: Quare vbi filium regem peperiſſet, iam non vlterius Vladiſlai matrimonium deſiderabat. Vnde magna diſſidia orta & Vngariæ regnum miſere conquaſſatum fuit. Regina filium ſuum menſes quatuor natum cum ſumma ſolennitate in regem Vngariæ coronari curabat.

Obijt 1439.

Vradislaus Dux Lituaniæ.

Diſſidia in Vngaria.

XXXII.

VLADISLAVS nihilominus Vngariam ingreſſus à quibusdam Rex ſalutatur. Obſidet Strigonium ducto aggere ad montem S. Thomæ. Vrbem deditione capit. Regina aſſumpto filio ſuo confugit in Auſtriam ad tuto-

rem

rem eius Fridericum Imperatorem, auferens ſimul ſacram regni coronam, quæ regibus legitime electis imponi debet, & annis 23. poſt, precio dato per Matthiam regem recuperata fuit. Vladiſlaus interim cum reliquiis, de S. Stephani regis capite demptis coronatur. Hiſce diſſidiis gliſcentibus Turca anſam regnum invadendi arripuit, ſiquidem Amurathes Raſciam interea occupat. Quadriennio elapſo Vladiſlaus Rex plane adverſo marte ingens prælium cum Amurathe commiſit. Rex enim ipſe in prælio occubuit, cæſis ſimul principibus & Prælatis quam plurimis, cum triginta millibus Chriſtianorum.

S. Corona abducta in Auſtriam.

Vladiſlaus occumbit Anno 1444. cæſis 30000. Chriſtianis.

XXXIII.

Ladiſlaus Rex Alberti Regis filius tantum quinque annos natus erat, cum Ladiſlaus occumberet, erat autē tum Viēnæ, Ioãnes ergo Hũniades ſive Corvinꝰ pręficitur vicerex, quam præfecturam ſumma cum dexteritate obibat, Vnde & propter animi fortitudinem ab Vladiſlao in Vayvodam, Iazygum deputatus eſt, ſiquidem ſecundo martę contra Amuraten bella geſſit. Inde ubi Ladiſlaus Rex ætatis annum 12. attigiſſet, in Vngariam ſe contulit, & Corvinum ob fidelem adminiſtrationem & ſervitia præſtita comitem Biſtriæ conſtituit.

Corvinus Vayvoda.

Corvinus Comes Biſtriæ.

Anno 1455. Corvinus denuo Mahometem in fugam vertens, magna tormenta bellica centum illi eripuit. Obijt anno ſequēti videlicet 1456. Ladiſlao ergo iam regnāte proceres regni acerbiſſimis odijs inter ſe diſſidere. Comes Ciliæ Vlricus occiditur à Ladiſlao & Matthia duobus filiis defuncti Hunniadis, ob quod factum Ladiſlaus capite truncatus. Matthias verò, qui & ipſe poſtea Rex fuit, Pragæ in carcerem adductus eſt.

Turca cæſus 1455.

Corvinus obijt 1456.

Anno 1457. Ladiſlaus Rex feliciter pugnavit

 con-

contra Sultanum, aliquot millia Turcarum proſternens.
Obijt 1458. Ladiſlaus poſtmodum nuptias celebravit Pragæ cum Magdalena Caroli regis Galliæ filia, Anno AEtatis ſuæ 19. & in ipſa ſolennitate nuptiali mortuus eſt.

XXXIV.

Matthias ex carcere in regē eligitur. MATTHIAS Corvinus filius Ioannis Hunniadis Pragæ carceri incluſus redemptus fuit per Epiſcopum VVaradinenſem quadraginta vel ſecundum alios ſexaginta millibus ſcutatorum, ſimulque in regem Vngariæ eligitur. Fridericus III. Imperator regnum ſibi arrogabat, prætendens ſe proximum ex virili ſtemmate hæredē defuncto regi ſuccedere. Matthias autem natus tantummodo annos 17. prævertit eum, ea lege, vt ſi abſque ſobole decederet, domus Auſtriaca ex teſtato ſibi regnum illud hæreditarium haberet. Primum matrimonium cum filia regis Bohemiæ contraxit: Rex ipſe bella ſatis feliciter
1462. 1463. 1494. adminiſtravit, quæ anno 1462. & 1463. contra Turcam geſſit. Poſtquam anno 1464. ſacram regni coronam ſe-
S. corona redimitur. xaginta millibus ſcutatorum à domo Auſtriaca redemiſſet, coronatur Albæ regali cum ſumma ſolennitate & congratulatione ſuorum. Matthias rex dum contra Tur-
Tyrnavia à Bohemis obſidetur 1466. cam arma moueret, Bohemi interea Tyrnaviam vrbem in finibus Moraviæ obſident, ſed re infecta Anno 1466. obſidionem ſolverunt.

1467. Anno 1467. convocatis proceribus regni ſui conſultavit contra Turcam & Bohemos. Diſcedens inde Poſoniam petiit, totamq; fere Moraviam cum Sileſia devicit, atque adeo Anno 1469. Olmutiz rex Bohemię coro-
1471. natur, Anno 1471. Caſimirus filius Caſimiri regis Poloniæ à quibuſdam Prælatis ad regnum Vngariæ accerſi-
Nitria obſeſſa. tur. Verum is Nitriam vſque delatus à Matthia cingitur,

noctis

noctis autem beneficio Caſimirus evadens Poloniam repetivit.

Anno 1472. magnam multitudinem in fines Poloniȩ traduci curavit ad oras illas incolendas. *1472.*

MATTHIAS REX I. Komaram, quod caſtrum erat aliâs obſcurum & ruinoſum in frontiſpicio Inſulæ Scuttæ verſus oriẽtem, egregiè inſtauravit. Eſt autem Scutta Inſula locus amœniſſimus, vbi ſunt viridaria & horti regij cultiſſimi, Areæ aucupijs ſtratæ, piſcinæ ſalubres, & quicquid ad voluptatem ſpectare poſſit. Anno 1473. bellum geſſit cum Caſimiro Poloniæ, & Vladiſlao Bohemiȩ regibus, res tamen pacificatione tandem compoſita fuit. *1473.*

ANNO 1475. Obijt doctiſſimus, Mathematic. Ioannes Regiomontanus, quem Matthias rex ſummo honore proſecut⁹ octingentis ſcutatis cohoneſtavit pro ſola Dedicatione Ephemeridũ in annos triginta ſupputatarum. *Ioannes Regiomontanus obijt 1475.*

Anno 1476. Coronata fuit in Reginam Beatrix filia regis Siciliæ, Coronatio Albæ regali facta, Nuptiæ Budæ celebratæ, quæ dum fierent, Turca Dalmatiam devincit, in Vngariam ad caſtrum vſque ferreum Stiriæ penetrat, & vltra triginta millia hominum captivos abducit, Daciam ferro & igne devaſtat. Matthias quod ſecundum quorundam opinionem Kunegundam filiam Friderici Imperatoris non obtinuiſſet, nuptiis finitis Auſtriã bello petit, capit caſtrum munitiſſimum Truotzmanſdorff, Petersdorff, & alia. *1476.* *Turca in Vngariam impreſſionem facit.* *Matthias Auſtriam bello petit.* *Trutzmanſdorff.*

ANNO 1481. Cæſariani in caſtris & Vrbem Haymburgum improviſo à Matthia obruti cæduntur. Anno ſequenti Rex Matthias vrbem illam obſidione cingit, quȩ in confinio Vngariæ & Auſtriæ ſita decẽ millia paſſuum *Bonſinius.* *Haymburgum obſidetur.*

 ſupra

ſupra Poſonium, cis Danubium, ad præaltum montem condita eſt, in cuius faſtigio arx quæ nulli facile acceſſum prebet ſupraeminet, poſt eam autē ad 20. ſtadia Prucka ciuitas eſt. Rex Matthias ſatis ſibi perſpectum habebat ſe nihil magnopere in Auſtria confecturū, niſi Hayburgū prius occupaſſet, quam ob cauſam obſidet eam arctius præ cæteris. Fridericus Imperator tria millia equitū in occurſum ei præmittit, qui prælio non ita magno ad Pruckam ſuperiores fuerunt: Stephanus Bathori vnus ex Matthiæ Ducibus in eo prælio capitur, & additis duobus à latere cuſtodibus, dum cæteri Vngaros perſequerentur, Pruckam abducitur, is in itinere capta occaſione gladium alteri cuſtodum, qui à læva erat, è vagina deripiens vtrumq; eodem confodit, quo facinore perpetrato, iam liberatus ad ſuos in caſtra revertitur. Matthias inde Haymbergam Vrbem deditione capit, & arcem à Præfecto eius tribus ſcutatorum millibus numeratis accipit. Hinc exercitum ad Pruckam movet, quæ vrbs non militibus tantum præſidiarijs, & muris foſſiſque præaltis; ſed arce inſuper munitiſſima, flumine vivo circumlabente & propugnaculis aliiſq; defenſione paratis optimè erat inſtructa, ipſa in plano cōdita ad ripas Leythe fluuij, ſita eſt. Hanc ita quequatuor menſium obſidione cingebat, tormentiſq; crebro in eam fulminans tandem multa vi eandem expugnat. Sed quòd Vienna nullo modo obſideri poſſet, deliberat ſecum qua via adiacentes vicos occuparet. Quare Korneüburgum vltra Danubium obſidione capit, arcem Guntzam, Clandiviccem, & Ebersdorfium, quod egregie ſe hoſti opponebat, tandem ipſam etiam Viennam in poteſtatē ſuam redigit. Viēnam fama eò adegerat, Kal. vt Iunij ſe vltrò dederet, quo die maximus terræ motus erat: Qui-

Prucka.

Stephani Bathori facinus magnanimum.

Vrbs & Caſtrū Haymburgum capiantur.

Prucka capta.

Korneuburgū Guntz. & Eberdorffium occupantur.

Vienna capta 1485.

Terra motus.

Quib⁹ confectis ſeptem menſes Neuſtadiũ obſidet, quam deditione accipit. Rex Anno 1490. curis omnib. ſepoſitis animũ libere explicatus atq; in ipſo Palmarũ feſto hilaris admodũ menſe accumbẽs, jubet ſibi ficos apponi qui cum ſelectiores haberi nõ poſſent, in tantũ ira intumuit, vt apoplecticus concideret, ac velut ab omni ſenſu expers jaceret, nec quicquã eloqueretur, ſed beluæ cuiuſdam inſtar inter horrendos mugitus expiraret: Albam ergo regalem deportatus ibidem ſepelitur.

Neuſtatum capitur. 1490. Obiit Rex Matthias.

XXXV.

VLADISLAVS II. qui & ipſe Rex Bohemiæ iam ante erat, matrimonio ſibi viduam Matthiæ jungit, & Rex ita Vngariæ ſalutatur. Circa hæc tempora Maximilianus primus Viennam recuperat, Neuſtadium item & Pruckã ſimul cum vniverſa fere Auſtria. Adhæc armata manu Albam regalem recipit, Veſprinum etiam & Sabariam cum arcibus munitiſſimis quam plurimis. Alba autem, Veſprinum & quædam alia Vladiſlao reſtituta ſunt. Mortua priore coniuge ducebat filiã comitis ex Gallia, ex qua Ludovicum & Annam ſuſcepit. Præterea cum Maximiliano ita conventum eſt vt ſi Rex abſque liberis decederet, Maximilianus omnesq; poſteri eius in regnis Vngaria & Bohemia legitime ſuccederent.

Maximilianus I. Viennam recuperat, Albã item Regalem, Veſprinum & Sabarium.

Tranſitio inter Maximilianũ & Vladiſlaum

Anno 1514. magna ſeditio per Vngariam coorta eſt, dum enim Cardinalis Strigonienſis Crucem ad populũ annunciaret, & multa ſubditorũ millia nomina ſua profiterentur, Vladiſlai interim legatio cum Turcarum Imperatore Selymo paciſcitur: Verum qui nomina ſua dederant, neutiquã ob id ab armis deſiſtebant: quin imò Capitaneum Georgium Zeck, qui Turcam iam ante aliquoties profligaverat, in Regem ſibi conſtituunt primùm per

Seditio 1514.

Pacificatio inter Vladiſlaum & Selymum.

Georgius Zeck Rex.

Furor ſeditioſorum.

Vngariam tanquam furore conciti caſtra non pauca & Cœnobia perrumpunt. Nobiles quā plurimos cum vxoribus & liberis trucidant, bona eorum diripiunt, Virgines conſtuprant, Epiſcopum Chonadienſem palo ligneo per corpus adacto transfigunt, idemque Strigonienſi Archiepiſcopo & aliis minitantur. Poſteaquam autem nouus

Rex Georgius capitur.

horrendum ſupplicium in Zeckianos.

iſte Rex Georgius vnà cum Ducibus à Comite Ioanne Va yvoda caperetur, inaudito & horribili prorſus ſupplicij genere affectus fuit. Primum Rex ipſe Corona candeſcente ferrea coronatur: dehinc ſanguis ipſi è duab⁹ venis ſectis detractus fratri eius Lucæ ad bibendum propinatur: Præterea triginta ruſticos per triduum fame maceratos eò immanitatis compellebant, vt dentibus Regis ſui ad-

Inaudita immanitas.

huc viventis viſcera dilaniarent deglutirentque. Rex autem ipſe miram interim conſtantiam præ ſe ferendo ne ingemiſcebat quidē, nec expaueſcebat ullum tormēti genus: hoc vnum obteſtans, vt fratri ſuo Lucę parceretur, ſiquidem à ſe ad bellum iſtud compulſus fuiſſet. Tandem vbi iam omnia fermé membra diſcerpta eſſent, exenterarunt eum & corpus fruſtulatim conciſum partim veru-

immanitas.

bus toſtum, partim lebete decoctum militibus eius manducandum appoſuerunt. Quos ita paſtos pariter cum Luca Zechet varie excarnificatos, ſupplicio ſuſtulerunt. Vla-

Vladiſlaus obijt 1516.

diſla⁹ Rex Budæ obijt Anno 1516. & Albę Regali ſepelitur.

XXXVI. LVDOVICVS II. Regis Vladiſlai fili⁹ ſucceſſit Patri in Regnis Vngariæ & Bohemiæ Anno 1521. Selymannus Turcarum Imperator Vngariam cum exercitu

Turca in Vngariam impreſſionem facit.

ingreſſus omnia rabioſè devaſtauit. Siquidem Collocza Archiepiſcopatus primus hoſtium incurſionib⁹ patebat, Rex ope Pontificis Paulum Tomori in Archiepiſcopum eius loci conſtituit, cumq; tantum non violenter ad id com-

compulit. Bellogrado enim amiſſo loc⁹ hic virum non tam ſanctimonia inſignem, quam hominem rerum politicarũ callidum, & prudentẽ aliquem atq; fortem protectorem ſibi exigebat. Tomori de quo hic ſermo inſtituitur, ordinem Franciſcanorum religionis ergo ingreſſus fuerat, is vir aliâs planè ſtrenuus, & admodũ ſeuerus erat, nec ſemel quid virtus ſua in Turcas poſſet animo præſentiſſimo expertus fuerat. Rex Ludovicus coniugem habebat Mariam agnatam Maximiliani Imp. quæ poſtea Gubernatrix fuit in Belgio. Soror autem Regis Ludovici Anna Ferd. ceſſit, qui & ipſe deinde Rex Vngariæ factus eſt. *Colocza Archiepiſcopatus.*

Anno 1526. Vbi Rex Ludovic⁹ animadvertiſſet, Turcam denuo cum maximis copijs Vngariam petere, ipſemet cum exercitu illi obviam proceſſit. Siquidem Nobiles quidam renuebãt cum ſolis belli ducibus & ſolũ cum regni proceribus expeditionem illam ſuſcipere, prætendentes privilegia ſua, quibus cautum erat, ne militatũ ire tenerentur, niſi Rex præſens inter ordines foret. Hac de cauſa Rex ipſe in armis eſſe compulſus fuit, & ingenti prælio ſed planè adverſo Marte cum hoſte decertatũ fuit: Ceciderunt enim ad novendecim millia Chriſtianorũ, multi inſuper Principes & Prælati, vtpote Ladiſlaus Zalkanus Archiepiſcop⁹ Strigonienſis, Paul⁹ Tomori Monach. dictus Archiep. Collocz. & generalis militię Præfect. Epiſ. 5. eccl. Iaur. Chonad. & Boſn. Rex itaq; dũ iam fugę intẽtus eſſet cum equo cui inſidebat in locum paluſtrem & vliginoſum delatus miſerè in eo perijt. Corpus exactis menſibus duobus poſt armis indutum & equus euſdem reperta, Albam regalẽ aducta & ibidem ſepulta ſunt. Turca ſupra lacum Balathonẽ Iaurinum vſq; progreſſus, quęcunq; obviam habuit, incẽdijs & latrocinijs devaſtabat. *1526.* *19000. Chriſtiani caeſi.* *Ludovicus Rex perijt in locu retiginoſo.* *Lacus Balathõ. Laurinum.*

Budam

Buda deditione amittitur. Budam Metropolim obſidebat, quæ nullo negotio in manus eius veniebat: maxima enim pars quin & Regina ipſa profugerant inde Viennam, ſola arx habebat milites præſidiarios Germanos, quam Turca cuniculis expugnare tentabat, quod milites animadvertentes con- *Perfidia Turcæ* venerunt cum hoſte, vt ſublatis ſarcinis inde ſalui diſcederent, fides autẽ illis non ſervata eſt, & quotquot erant ad vnum omnes cimeterris conciſi perierunt, Solus capitaneus incolumis evaſit, quod milites eius arcem ipſo *Verthiſes ſylua.* invito hoſti obtuliſſent. In ſylvis quas Verthiſes vocant, vltra 25000. Chriſtiani, præter vxores & liberos latitabant, in quos Turcæ magna tormenta diſplodentes omnes propemodum ſuſtulerunt. Turca ſuperiorem inſuper Pannoniam adoritur, igne & ferro quæcunque vltra Danubium obvia devaſtat, quibus peractis Conſtantinopolim repetit.

XXXVII.

Vayvoda Iazygum Rex. Ioannes de Zapolia Vayvoda apud Iazyges, mortuo Ludovico à quibusdam Rex eligitur: Tametſi Stephanus Bathori Palatinus Vngariæ, cum præcipuis prælatis in electionem eam non conſentiret. Ferdinandus enim Caroli V. Imperatoris Frater ad capeſſendum regnum iam vocatus erat, qua ratione factum fuit, vt duo Reges tum electi eſſent.

Anno 1528. Vayvoda à Rege Galliȩ ſuppetias ſibi *Duo Reges Vngariæ 1528.* ferri petivit, contra Ferdinandum Regem: præterea Carolo V. Imperatori, & ordinibus ſcriptis literis ſuper Ferdinandi Regis iniquitate conqueſtus, proteſtatur ſi contingat vt aliunde ſibi auxilium parare neceſſe haberet, ne id vitio ſubvertant: fertur etiam Ferdinando conditionem obtuliſſe, quod beneficiarius ſeu vaſallus eſſe ve-

lit,

lit, verum ubi 'omnis ſpes auxilij ipſi præciſa eſſet non multo poſt, inſtitutum ſuum, quod diu iam in animo propoſuerat (videlicet, ſi Ferdinandus Rex viribus ipſi eſſet ſuperior quod Turcæ patrocinio vti vellet) in actum deduxit, ſeq; Solymanni fidei atque tutelæ credidit. *Vayvoda Turca patrocinio fruitur.*

XXXVIII.

Ferdinandus Archidux Auſtriæ, Rex et ipſe Bohemiæ, eligitur Rex Vngariæ.

Anno 1527. magnis copiis conflatis Budam vſque profectus, vrbem eam & potiſſimam regni partem occupat, hinc Albæregali in Regem Vngariæ coronatur. *Anno 1527. Buda expugnata.* Generalis belli eius Præfectus Caſymirus Marchio Brandenburgenſis Budæ obit in ipſa expeditione, & pompa funebri digna principe ibidem ſepelitur. *Caſimirus Marchio Brādenburgicus obijt.*

Anno 1529. Solymannus Imperator Turcicus tacitè inſtigatus à Vayvoda Iazygum Vngariam adoritur, vrbem Budam & arcem, quam undecies fruſtra oppugnaverat, vi capit. *Solymannus Vngariam ingreditur.* Ioannes Vayvoda Iazygum à Turcis Erdelbannus appellatus, magnis muneribus Turcæ obviam præcedens manus eiusdem deoſculatur, à quo Rex Vngariæ confirmatus Budam in ſedem Regiam ab eodem oblatam acceptat, quam deinde ad finem vſque vitæ ſuæ, in annum videlicet 1540. fixum ſibi retinuit incoluitque. *Buda amiſſa anno 1529. Vayvoda Turcam excipit. Rex Vngariæ confirmatur.* His actis Solymannus ſecus Danubium cum exercitu conſcendens, in tranſitu deditione capit Komaram, Vicegradum, Ovvaram &c. Viſuntur adhuc Ovvaræ globi tormentarij ingentes, quos in obſidione illa ſparſit ntra muros eius. *Komarum Vizegadum. Ovvaram Turca occupat.*

XXVI. die Septembris obſidione Viennam Auſtriæ cingebat, bis centena millia Turcarum in exercitu uo numerans. Vrbem ipſam dies 20. continuos tor- *Vienna obſeſſa.*

f mentis

mentis conquaſſabat, ſępiùs eam incurſionibus licet fruſtra adoriens. Ceciderunt tùm Turcarum vltra octoginta millia, tādem frigore compulſus obſidionem ſoluit, & Budam Conſtantinopolimque repetit.

Anno 1532. Turca denuo in Vngariam venit. Anno vero 1532. cum ingenti manu videlicet ter centenis millibus reverſus eſt, advehens ſecum centum & viginti tormenta bellica magna, quæ capitalia ſeu Cartaunen, 12. ex eo genere quę mortaria, 40. quæ Serpentinæ; & centum quæ à falconibus noſtris hominibus denominantur. *Guntza obſeſſa.* Obſidet ergo oppidulum & arcem Guntzam; quam Dominus Nicolaus Iuritſch natione Vngarus deſendebat. Oppidulum ipſum ferme funditus tormentis collabefactatum erat, ſiquidem ter & decies fruſtra ab hoſte oppugnatum ſubſtiterat, Turcis quam plurimis cadentibus. Turca ergo magnanimitatem Domini Nicolai videns, per nuncium ipſi ſignificat, ſi ſe in poteſtatem eius traderet, honorarij loco arcem cum oppidulo reportaturum, nec vlli civium deinceps id damno fore. Quam conditionem Vngarus ille acceptavit, Civesque ſuos ea ratione ſaluauit. Turca inde caſtra movit, ſeque ad Stiriæ fines & lacum Balathonem convertit: Supremū Baſſam *Turca ad Lintzam excurrit.* ſuum cum exercitu levis armaturæ ad 15. millia hominū præmiſit, qui longè lateque populabundi Aredaten vſq; excurrerunt damna plurima paſſim inferentes. Sed dum præda onuſti retró ad ſuos cogitarēt, ita inter montes cir*Vienna ingens exercitus.*cumuenti ſunt, per quoſdam equites qui conſcripti Viennam tum primum adventarant, vt vix 200. de 15. millibus evaſerint. Imperatoria Maieſtas breviſſimo tempore Viennæ exercitum collegerat, ad triginta millia equitum, peditum autem ad bis centena millia. Cuius rei ſimul ac Turca certior factus, ſigna illico vellit & ad fines ſuos

retro-

retrocedit, neque noſtri eum vlterius perſequi laborant.

Anno 1537. Rex Ferdinandus denuo exercitum conſcripſit, octo videlicet millia equitũ,& ſedecim millia peditum, cuius dux fuit Catrianus, is peſſimæ fidei notam ſibi inuſſit, ſiquidem ad Turcas deficiens,exercitum perfide re prorſus infecta prodidit. Nec longè poſt Catrianus ſe ad Comitem Nicolaum de Serino contulit, cuius aliâs intimus fuerat, illi perſuadere conatur, vt & ipſe ad Turcas deficeret:cui Comes Nicolaus caput præcidi iuſſit, quod Ferdinando Regi tranſmiſit,& pro eo honorarij loco, omnia Catriani bona à Ferdinando ſibi collata reportavit. *Catriani perfidia.* *Pœna Catriani*

Anno 1540. vel ſecundum alios 1541. Ioannes Vayvoda Tranſſylvaniç,Budæ obijt,is filium puerum adhuc reliquit, qui per ætatem regno præeſſe non poterat, ob id mater eius interea vices illas adimplebat. Exercitus autem Ferdinandi Budam in qua erat vidua cum filio Ioanne Stephano obſidet,ſibique eam dedi poſtulat: Tutores Regis adhuc impuberis neutiquam in id conſentiebant, ſed Turcæ præſidium contra implorabant, qui primarium quendam Baſcam cum exercitu propere prçmittens eũdem in propria perſona haud multis diebus poſt ſubſequebatur. Tametſi vero milites Ferdinandi vndiquaque tormentis in vrbem fulminarent, depulſi tamen ſunt,& ceciderunt ex ijs ad 20000. Imperator Turcarum Budam & Peſtham occupat, ſibique vtranque retinet, quarum Præfecturam Bellerbego demandat, de vidua autem & filio eius diſponit, vt in Tranſſylvaniam concederent. *1540. Obijt Ioan. Vayvoda* *Buda obſeſſa.* *Buda Turcam implorat.* *Buda defenditur.*

Anno 1542. denuò numeroſus exercit⁹ in Vngariam

à Ferdinando rege miſſus eſt, cuius belli præfectus Generalis erat Ioachimus Elector Brandeburgicus. Pontifex duce Alexandro Vitellio tria millia equitum illis adiungebat, ea vice Peſtha tormentis & incurſionibus acriter oppugnata fuit, ſed male ceſſit, ſiquidem lues horrenda in exercitum adeo ſçuijt, vt multa eorum millia perimeret, ſicuti eodem anno Viennæ etiam 18000. ex peſtilenti contagio perierunt.

Peſtha obſeſſa.

1543. Strigonium & Alba regalis amiſſa.

Anno 1543. Turca denuo graſſans per Vngariam cum exercitu ad 10. Auguſti diem vrbem & caſtrum Strigonienſe vi multa occupat, quamuis obſeſſi totis viribus ſe defenderent: Ad 3. Nouembris Albam regalem deditione capit, ea tamen conditione, vt ciues illęſos dimitteret. Solymannus vero victis iniungit, vt in arcem ſimul conueniant, quo facto armis eos exuit, & quoſdam qui viribus corporis prę reliquis valerent ex iis ſeligit. Cæteros Cimeterris diſſecari mandavit, his peractis Mahometē Iaoglis Gubernatorem totius Vngariæ conſtituit.

ANNO 1547. Anna Regina Vngariæ Ferdinandi Regis Coniunx Ioannam parturiendo expirauit.

1548. capta Agria.

ANNO 1548. Ferdinandus Rex Agriam in poteſtatem ſuam redigebat, Duce Comite à Salm: Vrbis autem captæ præfecturam Stephano Debo, Franciſco Zay & Nicolao Olaho committebat.

1549.

ANNO 1549. Comes à Salm multa caſtra in ſuperiore Pannonia expugnabat.

1550.

ANNO 1550. MATTHIAS Teüffel Ferdinandi Regis Copiarum Dux à Bellerbego Budenſi apud Pallatium ſuperatur. Turca etiam capit Dregelt, Gyarmath, Zetſchin, Pallatium & oppida quædam adiacentia. Obſidet inſuper Agriam copiis ſuis omnibus in vnum collectis

Dregelt, Gyarmath Zetſchin, Pallatiū amiſſa. Agria obſeſſa.

ctis,verum qui in vrbe erant, vnanimiter contra hoſtem conſpirabant,fidemque ſuam ſubſcriptione è proprio ſãguine factam,invicem aſtrinxerant. Turcic' itaque exercitus pudore confuſus obſidionem ſoluit,duodecies mille globis in vrbem per magna tormenta diſploſis,qui numerus collectis globis iſtis demonſtrari potuit. Ceciderunt autem omnino trecenti ex noſtris.

AGRIA ſedes eſt Epiſcopalis, quæ ſecundum Bonfinij opinionem, primum ab Agrianis Illyrici populis habitata fuit. Sunt qui à riuulo Agria urbem alluente eam denominatam exiſtimant: Sunt etiam qui veterum Vinundriam putant,cuius Ptolomæus in ſuperioris Pannoniæ tabula meminit,eique trigeſimum octauũ cum dimidio gradum longitudinis, & quadrageſimũ ſextum cum dimidio latitudinis aſſignant. Temporibus Bonfinij quantum ex Hiſtoria eius eiicere poſſumus, Civitas ea ſatis exigua,nec muris adeo munita fuit: Verum ſub Ferdinando, à Præfecto Eraſmo Teufel egregie inſtaurata eſt: Arcem vetuſtate minus conſpicuam habet,nec vllis propugnaculis firmam,portis ſolummodò vtcunque clauſam. Non multo tempore poſt Dominus Anthonius Vernantius Epiſcopus Agrienſis & Nobiliſſimus Franciſcus Zay Præfectus Caſſovienſis, Conſtantinopolim à Regia Maieſtate delegati pacis conditiones tractarunt. *Agria.* *1553. 1554.*

ANNO 1556. deficientes Tranſſylvani à Rege ſuo Ferdinando jungebant ſe Ioanni Sigiſmundo Vayvodæ filio Vayvodæ illius de quo ante ſermo fuit. *1556.*

ANNO 1558.Ferdinandus Rex Vngariæ & Bohemiæ eligitur in Romanorum Imperatorem. *1558.*

ANNO 1560. Turca Felicam capit,locus is in ſuperiore Pannonia munitiſſimus eſt. Nec multo tempore poſt *1560. Filecka amiſſa.*

Ferdinandus Imperator & Solymannus fœdus inierunt, quod vtriq; parti tolerabile fuit, & ratum illæſumq; perſtitit, quoad Imperator Ferdinandus in vivis erat.

1564. ANNO 1564. ad 25. Iulij diem Ferdinandus Imperator Viennæ fatis concedens Pragæ ſepeliebatur.

XXXIX.

MAXIMILIANVS II. Ferdinandi Imperatoris filius, qui iam ante Rex Bohemiæ, Romanorumq; dehinc Imperator electus erat, coronabatur anno 1563. vna cum Maria coniuge ſua in Regem Vngariæ ſuperſtite adhuc patre ſuo Ferdinando Imperatore.

ANNO 1564. ſub finem fere anni Ioannes Sigiſmundus Voyvoda Iazygum vaſallus & ſubditus Solymanni male fortunatus, pace violata Zatvvarum expugnavit, in quo Maximiliano Imperatori plurimum erat ſitum. Vayvoda Balaſſi Melchiorem inde expulit, coniugem & liberos illius, cum omni ſuppellectile, clenodiis, etiam & prompta pecunia abduxit: Verum Maximilianus Imperator miſſo belli duce Lazaro à Schvvendi cũ exercitu, Zatuarum recuperavit, ſimul cum aliis adiacentib⁹ locis non paucis.

Zatvvar amiſſum.

ANNO 1565. Vayvoda Solymannũ tantopere ſolicitavit, vt is de expeditione in Pannoniam ſuſcipienda, plane ſecũ conſtitueret. Quare Baſſæ Budenſi mandatur, vt arma paret, & bellum auſpicetur, qua ratione Vayvoda ille, patriam ſuam in extremum exitium adduxit. Regẽ enim ſe Vngariæ dictabat, & conventu ſuorũ habito in Martio menſe proponebat illis quod ex Patroni ſui clementiſſimi, Sultani Solymanni ſententia & poteſtate plenaria omnibus Vngariæ ordinibus edicto iniunctum, vt ſub poteſtate & ſceptro ſui Vayvodę eſſe teneantur. Quod edi-

Zatuarum recuperatum.
Vayvoda perfidia.

Quod edictum Lazarus à Schvvendi conſtanter & ſolide refutabat. Nec multo poſt Solymanno Vngariam ingreſſo, Vayvoda cum muneribus plane regiis obviam proceſſit, ſpe, licet fruſtrata, Vngariæ regnum ab eo obtinendi. Baſſa Budenſis Palotam obſidens, erat autem in ea Capitaneus Georg. Thurinus vir equeſtri virtute cōſpicuus, per integrum octiduum cōtinue tormentis in illam fulminabat, adeo vt muris conquaſſatis ſoloque tantum nō æquatis caſtrū ipſum extreme periclitaretur, præter ſpem liberatum fuit per Comitem Georgium ab Helfenſtein, Turcæ conſpectis Chriſtianis profugerunt, pulvere tormentario, farina, tormentis, & tētorijs omnibus relictis. Muri deruti deinceps reparati ſunt. *Palota obſeſſa 1566.* *Veſprinum captum.*

A D 29. Iunii diem Chriſtiani Veſprinū obſidione cingentes poſtero die occuparunt, cæſis omnibus quotquot ex Turcis obvios habuerunt, quinque tantum acceptis. In Iulio Comes à Salm Thatan arcem quam noſtri Dotin vocant, expugnauit, & præſidiarios ad vnum vſque extinxit. Turcæ qui Geſtes locum munitum tenebant, vbi de adventu Comites certiores facti eſſent, inde profugerunt: quorum exemplum imitati ſunt qui VVeytam tenebant. Eodem anno Scythæ ſuadente Vayvoda Iazygū & Solymanno eos evocante ſuperiorem Pannoniam adoriebantur, omnia ferro & igne davaſtantes plurimosque Chriſtianos ſecum abripientes. Horum decem millia Dominus Lazarus de Schvvendi, parva ſuorum jactura partim cæcidit, partim ex Vngaria profligavit. His peractis dictus Schvvendi caſtra quædam, Sabactam videlicet, Craſnahurcam, Pilovvicx, & alia expugnavit, quæ ad Georgium Bebecium vnum ex Vngariæ proceribus pertinebant, is autem perfide Imperatorem deſerens Vayvodæ *Thata capta.* *Geſtes à Turcis deſertum.* *Item VVeta.* *Scytha ſuperiorem, Pannoniā invadunt.* *Sabutca, Craſnahurca Pilſovuicx, Zatnarū, à Schvvendi captum.*

partes

partes ſequebatur. Prætcrea Zatuarum deditione capit. Turca ergo inferiorem Pannoniam paſſim miſere depopulante, & omnia vi occupante, ita vt de Komara & Iaurino etiam metuendum eſſet, Imperatoria Maieſtas maximis copiis conflatis ipſemet præſens expeditionem ſuſcepit, & ad Komoram Iaurinumque caſtrametatus, munitiones eas ad communem Chriſtianorum ſalutem à Turcarum furore tutas reddidit. In menſe Octobri dum Imperator Iaurini commoraretur, incendium ingens ibi exarſit, ex quo fere tota civitas conflagravit, milites dum reſtinguendo incendio occupati eſſe debuerant, admodum opimam prædam ex bonis mercatorum iſtic depoſitis retulerunt: Imperator poſtmodum magnam pecuniæ ſummam ad ædificia reſtauranda incolis deputavit.

Imperator cum exercitu in Vngariam movet.

Iaurinum noctu totum conflagravit.

1567.

Pax confirmatur. An. 1568.

ANNO 1567. Epiſcopus Agriēſis & Dominus Chriſtophorus à Teuffenbach liber Baro, Conſtantinopolim miſſi ſunt vt de pace tractarent, quæ Anno 1568. inter Imperatorem Maximilianum II. & Sultanum Selymum in octēnium conſtituta eſt, vna ex conditionibus illius hæc fuit, vt quiſque ſibi retineret, quæ in poſſeſſione ſua haberet: quæ pacificatio annis poſterioribus prolongata eſt.

1571. Vayvoda obijt.

Bathori Vayvoda, & deinde Rex Poloniæ.

ANNO 1571. Ioannes Sigiſmundus Vayvoda Iazygum, obijt abſq; ſobole, nec abfuit ſuſpicio veneni. Illi ſucceſſit Stephanus Bathori annexa tamen ſervitute, qua annuatim tributū Sultano penderet. Hic ipſus eſt Bathori ille, qui anno 1575. ex commendatione Sultani in Regem Poloniæ ſuffectus eſt.

AMV-


NEC TIBI DEBETVR VICTRIX, MVRATE, VIENNA:
NEC TIBI SINANIS PRODERIT VSQVE FVROR.
SVLTAN MVRAT CHAN.
ANTE TIBI TVRPES CRVCIATIB' AVFERET ANNOS
QVI IVSTO OBSERVAT LVMINE SCEPTRA DEVS.

NAPOLI

AMVRATHES.

ANNO 1574. durante adhuc pace, 1574.
Turca prope lacum Balathonem Vngariam adortus, vltra mille Chriſtianos trucidavit, & opimam admodum prædam auexit. Circa finem huius anni obijt Selymus Conſtantinopoli. in cuius locum filius eius Amurathes ſucceſſit.

Si amice lector, Amurathis huius acta plenius cognoſcere velis, requiras Turcarum vitas Ioh: Iacobi Boiſſardi Veſuntini, vbi fol. 339. omnia exactè referentur.


PANONIÆ QVI SCEPTRA TENES TIBI FATA
STRIGONIVM REGNIS RESTITVERE TVIS.
RODOLPH. II. D. G. ROM. IMP.
DEI DE' VT VICTIS FELICITER HOSTIB' OMNIS
SERVIAT IMPERIO PÃNONIS ORA TVO.

RVDOLPHVS II. IMPERATOR.

ANNO 1579. Obijt Imperator Ma- ximilianus in Comitijs Ratisbonæ. 1576. Obijt Imper. Maximil.

XXXX.

Rodolphus II. filius Imperatoris Maximiliani, qui nunc ad Imperij gubernacula ſedet, & ipſe iam ante Vngariæ & Bohemiæ Rex eligitur in Romanorum Imperatorem.

ANNO 1577. In Novembri Begus Villacenſis vrbem 1577.
Sixo quæ in ſuperiore Pannonia eſt, dum mercatus annuus celebraretur, improviſo obruebat, & inermes illos cimerterris diſſecans bona eorum diripiebat, bis mille ex iis copulatos equorum inſtar ſecum abducens dum ad ſuos retro cederet, noſtri eum perſecuti ſunt, & ope Vngarorum rusticanorum captivos ipſi eripuerunt; multos etiã primarios Turcarũ partim occiderunt, parim captivos abduxerunt, domum reverſi ſunt. Præda onuſti
Anno 1580. Turcæ ſuperiorem Pannoniam Sepſy vſque 1580. Sepſy.
depopulabantur, vicos complures diripiebant & flammis prorſus exurebant, multos etiam Chriſtianorum ſecum abripiebant, ſed dum retro ad ſuos vergerẽt à noſtris prope Agriam fuſi ſunt, & ita captivi & præda recuperata eſt.
Anno 1582. Imperatoria Maieſtas Poſonium ſe conferẽs 1582.
cum Vngariæ Proceribus conſultavit, qua ratione quod in Vngaria reſiduum eſſet, defendi, & caſtra quæ limites regni eſſent, rectius communiri poſſent.

Eo anno & pace adhuc vigente ſexaginta millia Tur-

Zapolia devaſtata. carum coierunt, qui duce Sanzaco ſuperiorem Pannoniam incurſarunt. Zapoliam devaſtãtes, vicos aliquot flammis abſumentes, multos in captivitatem ducentes & ingentem prædam avehentes: Verum in reditu à militibus Cæſarianis prope Agriam magna ex parte cæſi ſunt, & bona ab ipſis recuperata. Quæ cum Conſtantinopoli relata eſſent, Turcã admodum commouerunt: Aſt vbi intellexiſſet, Turcas nulla provocatos iniuria priores petulanter Chriſtianos incurſaſſe, paulatim detumuit, atque vltro expetivit pacis conditiões poſthac illibatas continuari. *1584. pacis pax perlõgatur* Ea ratione inter Romanorum Imperatorem Rodolphum II. & Sultanum Amurathem III. pax denuo conſtituta fuit in octennium integrum, quæ Anno 1584. ipſis Kal. Ianuarij cæpit.

1587. Nemetui. ANNO 1587. Turcæ ſeptendecim pagos, verſus Nemetuos citra vltraque Limpach ſitos devaſtabant, nec paucos Chriſtianos abripiebant. Comes verò Georgius à Serino prædam eam recuperavit & vltra 2000. illorum cæcidit.

ANNO


SINAN BASSA PRÆFECT. GENERALIS MILITIÆ TVRCICÆ SVB MAHOMET

NAPOLI

SINAN BASSA.

ANNO 1588. ſub finem Septembris, Beglerbegus, vel ſecundum alios Sinan Baſſa Budenſis 11000. Turcarum prope Filecam collegit, ea intentione vt totam ſuperiorem Pannoniam devaſtaret. Sexto Octobris die imperioſe ſibi dedi poſtulavit Putnock caſtellum, ſed fruſtra. Tranſmiſſo ergo flumine Schayo, Sixo vicum petẽs eiusque Templum & turrim continuo tormentis impetens templum ipſum & vicum vniverſum qui plusquam ex quingentis ædificijs conſtabat plane exuſſit. Tandem copias collegit generalis militię per Vngariam Præfectus Dominus Claudius à Ruſſel, qui hoſtem adoriens prælio cum eo decertavit, in quo vltra 2500. Turcæ cæſi & 300. in Schayo fluvio ſubmerſi perierunt. Noſtri poſtmodum in Turcarum fines irruptionem facientes Blauenſtein Geſtes & caſtra quædam alia occuparunt.

Potnock poſtulatur.
flumen Schayo.
Sixo exuſtum.
Geſtes Blauenſtein occupata.

ANNO 1589. Sinan Baſſa Budenſis Conſtantinopolim quod parum ſecundo marte in Vngaria nobiſcum bella gereret, præſertim apud Sixo: quapropter Ferratus Baſſa ipſi ſubſtituitur. Is iam ante in Perſia Imperatoris ſui negocia ſatis feliciter expediverat. Fertur hic Ferrat⁹ Baſſa à comite de Nagerol, qui circa hæc tẽpora nomine Imperatoris in Vngaria agebat, literis ſcriptis ſalvum conductum petiiſſe vt liceret ipſi de pace cum noſtris tractare.

ANNO 1591. Poſtquam iam aliquoties Turcę contra ictum fœdus varia per Vngariam & Crabatam hoſtiliter tentarant. Imperatoria Maieſtas in Septembri Conſtã-

1591.
Turcæ pacem violarũt.

h tinopo-

tinopolim legatos miſit, qui Amurathis damna à ſuis data exponeret requirentes ſimul nũ id juſſu Amuratis hactenus accidiſſet, ſin minus, vt ſuos cohiberet. Quo facto Turcæ ad tempus ab incurſionibus abſtinuerunt, & pax ſatis rata interea conſtitit: Siquidem Amurathes pacis illas conditiones in octennium ſuſceptas inviolatas vtique eſſe voluit. Poſtquam verò Sultanus cum Rege Perſarum fœdus pepigiſſet, Baſſæ quidam ipſi ſuggeſſerunt, vt fines Vngariæ & Crabatiæ tentaret, ſiquidem Chriſtiani mutuis vulneribus & bellis inteſtinis paſſim ſibi ipſis infeſti eſſent.

1592. Hoc conſilio Anno 1592. menſe Iunio Crabatos armis infeſtat, nec vlla mora interiecta infandis calamitatibus eos immergit: paſſim enim ſuperior impune per fines illorum vagatur: Adhæc Baſſa Badenſis magno apparatu bellum molitur. Eam ob cauſam Imperatoria Maieſtas ad electores, Principes & Ordines Imperij legatis miſſis illorum opem rebus ita conſtitutis requirebat, qui ſe promptos & benevolos omnes obtulerunt. Cum vero victoria omnis à diuino nutu pendeat, Principes & Ordines Chriſtianorum ſubditos ſuos ad preces Deo pro patria fundendas pie exhortati ſunt.

Preces contra Turcam conſtitute.

MENSE Iulio Turcæ in diverſis locis Chriſtianos improviſo adorti ſunt, & ad 200. Palantes ſeptem milliaria iam à Caſſovia aberant, armenta & equos plurimos ſecum abripientes, quos Dominus Præpoſitus VVari Centurio Agriẽſis retrocedẽtes perſequebatur, ſed nihil magnopere profecit. Tandẽ vbi VVari in hoſtẽ incidit, terga vertere coactus fuit, & ſeptingenti fere pedites ex noſtris occubuerunt. Turcæ inſuper prope Agriam in ſexcentos noſtrorum, qui ad mercatum iter inſtituerant, armata manu

Præpoſitus VVari Centurio Agrienſis.

manu irruerunt, exquibus circiter quadringentos trucidarunt reliqui, fuga ſibi conſuluerunt.

ANNO 1593. ad 5. Martij Pragæ conventus habitus eſt. I. quia nũciabatur prę certo quod Amurathes totis viribus expeditionem ſuſciperet, ſeq; ad bellum Chriſtianis, quantum quidem coniectura haberi poterat, inferendum, præpararet. II. præterea vt pecuniæ, quas Imperatoria Maieſtas ob fœdus à Turcis ruptum, interveniente ſponſione præcipuorum illius regni Officiatorum, iam tum in magna ſumma ad defenſionem impendiſſet, Creditoribus refunderetur. III. adhæc ſi Imperatoria Maieſtas neceſſitate compulſa aperto marte ſe hoſti opponere & ſub dio caſtra metari cogeretur, vt bello tum ſubſidia pararentur: IIII. Tum verò vt certus militum limitaneorum numerus contra Turcam conſtitueretur. *1593. Conventus Pragæ.*

ANNO 1593. 36. Septembris Sinan Baſſa Veſprinũ civitatem Epiſcopalem, non ſine magna ſuorum clade expugnabat. Occupabat etiam munitionem Palottam deditione, & cum devictis contra datam fidem perfidiſſime agebat. Tertio Septembris. Thihan inſulam arcem & cœnobium in poteſtatem ſuam redigebat. *1593. Veſprinũ amiſſum.* *Palotta.* *Thihan.*

DECIMO eiuſdem Menſis die, Melchior à Rhedern complures Chriſtianos eorumque liberos ex captivitate Turcica liberabat.

VICESIMO Octobris Ferdinand' Comes Hardeccẽſis ſuburbium Albæ regalis expugnabat, expugnatamque igne funditus exurebat. *Suburbium Albæ regalis occupatum.*

Hoſte verò ſuperveniente aperto prælio decertatum eſt, in quo plurimi Turcarum ceciderũt, & Chriſtiani opimam prædam ex tormentis, curribus & armentis cõſtantem ſibi reportarunt. *Prælium ibidem.*

Sabutca expugnata.

DECIMO octavo Decembris Fridericus Dominus à Teuffenbach, obſidebat caſtrum Turcicum Sabutcam in ſuperiore Pannonia, poſteroque die illud expugnabat, 250. Turcas præſidiarios in ſtatione trucldabat: hinc caſtra ad firmiſſimam munitionem Fillecam admovit, quam XI. huius tormentis impetebat, Turcæ quidē viriliter ſtabant pro oppido verum nihil proficiebant, illudq; 14. die hui⁹ menſis à noſtris expugnatum fuit. Caſtrum ipſum triduo poſt, & interior arx 18. eiuſdem menſis in poteſtatem noſtram deditione venit, pertinēt ad caſtrum illud octingētí pagī: Dum rumor hic increbeſceret, Turcæ munitiones duas Dyvvyn videlicet & Hamaſky noſtris tradiderunt: quas ſecuti ſunt Zetſchin, Blauenſtein, Dregel, Palancka, Somoske & alię. Poſtmodū anno 1594. in Feb. ſimiliter Novigradū, Olezi, Hellock & VVaskevv noſtris ceſſerūt.

Fileca expugnata.

Dyvvyn Hamaſki Zetſchin Blauenſtein, Dregel, Palancka Somoſki, capta.

1594. Novigradum Olezi Hollock & VVaſkavv capta.

MENSE Martio Turcæ Strigonium præſidio firmamabant, propugnaculum in monte . Thomæ extruebāt cui duo tormenta bellica addiderunt.

Harduan obſeſſum.

HARDVVAN in Apr. à Domino à Teuffenb. obſidetur, ea triplici foſſa aquis inūdantib⁹, & propugnaculis eſt munitiſſima. Obſeſſi ſcriptis literis à Budenſibus ſuppetias rogaverunt, diſtat autem Buda ſex inde milliaribus, venerunt ergo Budenſes 15000. viris illis in ſubſidium; & magno pręlio decertatum eſt Dominica quę erat 21. Apr.

TVRCAE in fugam verſi, cæſis aliquot millibus eorum, cæteri Peſtham vſque profligati. Noſtri in reditu munitiſſimam domum Iaſprinum occupāt, non ſine opima præda. Dominus à Teuffenbach denuo munitionem Harduanam vſque in menſem Iuliū fruſtra tamen obſidebat.


MATHIAS DEI GRATIA ARCHIDVX AVSTRIAE DVX BVRGVNDIAE COMES TIROLENS · A

NAPOL

MATTHIAS ARCHIDVX AVSTRIAE.

VICESIMO quarto Aprilis Sereniſſimus Archidux Auſtriæ Matthias caſtra vrbi & arci Strigonienſi admovet, quæ tota die ad 27. eiusdem menſis tormentis cõquaſſata fuit. Summum Templum S. Adelberti ex machinæ ignito globo exarſit, & fere totum conflagravit. *Strigonium obſeſſum.*

KALMAY Glirarium, ope Glirium incolarum portas vltra recludentium occupatur. Quantumuis autem noſtri Vrbem aquaticam, ipſamque arcem aliquoties etiam oppugnarent, re tamen infecta in Iulio diſceſſerunt. *Glirarium occupatum.*

MENSE Iulio Sinan Baſſa magnis copiis adductis, quæ ad centena millia virorum computatæ ſunt, in Vngariam venit, capit deditione Dotin munitiſſimam, montemque Pannonium. Hinc Iaurinum obſidet, in quã vrbem totis viribus tormenta diſplodebat, eamque ducto aggere ferme ad vallum vſque pomœrij obſidebat. *Dotes amiſſa. Mons Pannonius.*

VICESIMO nono Auguſti, Turcæ magno numero Danubium navibus tranſmiſerunt, & Chriſtianos noctu in caſtris adverſo flumine, in Inſula Scutta imparatos adorti ſunt, ex quibus occiderunt mille ducentos, reliquos profligarunt, caſtra, tentoria, tormẽta, archiva, currus, naveſque commeatu onuſtas, decem etiam galeatas naves *Chriſtiani in Scutta fuſi.*

ſiue

ſive triremes omni paratu bellico inſtructas occupantes quæ omnia noſtri reliquerant, qua m Sereniſſimus Archidux Auſtriæ, Matthias cum cæteris belli Ducibus fuga ſubita Ovvaram delat' vix evaſit. Turcæ dehinc longe lateq; palantes VViſelburgum flammis abſumebant.

VViſelburgum exuſtum.

DECIMO tertio Septembris poſtquã Turcæ in laurinenſem munitionem omni impetu tormentis fulminauerant, duoque propugnacula effoſſis cuniculis pulvere tormentario ſubiecto & incenſo iam diſiecerant, per dies quinque continuos orbem oppugnarunt: quibus omnibus tentatis Comes Hardeccenſis, Præfectus laurienſis, ſimul cum reliquis Centurionibus inducias à Sinan Baſſa petijt, tum primarij proteſtatione facta ſubſcribentes, certis conditionibus vrbem hoſti tradiderunt 29. die Sept.

Iaurinum oppugnatum

NOSTRI ergo à Turca Ovvaram vſque ſalvi deducti ſunt, & conſtans rumor fuit, vinum, farinam, cæteraq; victualia præter centum magna tormenta bellica, magnaque ſulphuris tormentarij vini, copioſe tum in arce adhuc ſuperfuiſſe. Comes Hardeccenſis ob deditionem factam, capitali ſupplicio affectus fuit, Viennæ 5. Iunij vna cum Perlino.

Comes Hardeccenſis. Anno 1595.

25. SEPTEMBRIS Anno 1594. Turcæ Komarã arctiſſime obſederunt, in qua non vltra 250. milites præſidiarij erant: verum re infecta abſcedere coacti, Scuttam Inſulam deſeruerunt. Decimo quinto Decembris, dum Turcæ qui Iaurinum tenebant, in Scuttam inſulam excurſiones tentabãt, à ruſticis eius loci prohibiti centũ ex ſuis deſiderarũt.

Komara obſeſſa

MAHO-

MAXIMILIANVS D. G. ELECTVS REX POLONIÆ, ARCHIDVX AVSTRIAE, BVRGVND. COmes Tirolis &c. Ordinis Teut. Magnus Magiſter, Cæſ. Maieſt Prorex per Vngariam.

ANno 1594. Menſe Ianuario, commiſſæ ſunt Sereniſſimo Archiduci Auſtriæ MAXIMILIANO vices Cæſareæ Maieſt. per regnum Vngariæ tanquam Prorege & generali eius Gubernatori. *1594.*

Anno 1594. Menſe Iulio Sereniſſimus Archidux MAXIMILIANVS Petrinam munitionem Croatiæ, acriter tormentis oppugnari fecit: Turcæ ergò videntes rem tanto conamine geri, ipſi oppidum ex quatuor angulis pice incenſum cremantes, ſponte exceſſerunt, Vltima ergò Iulij à Sereniſſimo noctu occupata fuit. *Petrina expugnata.*

Expugnarunt interea ducenti milites Chriſtiani Hraſtovvicum, erant in eo quadraginta octo præſidiarij Valaquij, quibus trucidatis, centum Chriſtianos partim Germanos partim Sclavos ſubſtituerunt. *Hraſtovvitz expugnatur.*

Cætera Sereniſſimi huius Archiducis acta, inſequenti Relatione Vngarica fuſius exponemus, quæ Lector beneuolus ad calcem huius operis requiret.


ILLVSTRISS NICOLAVS PALFIVS BARO DE ORDED DNS BIBERSPVRGI · S · CÆSÆ M TI A CONSILIIS ET COPIAR PRAFECT ·

ILLVSTRISSIMVS NICOLAVS PALFIVS BARO DE ORDEP. DOminus Biberſpurgi S. Cæſar. Maieſt. à Conſilijs & copiarum Præfectus.

ANNO 1593. Menſe Ianuario, cum ter mille Turcæ ad Caſtellum Neuheuſel, cui Dominus Palfius præficiebatur in vnum conueniſſent, & diuiſo agmine altera pars diſpareret, altera aperto marte rem aggredi & dato ſigno noſtros laceſſere auderet, Incolæ eius loci armata manu vrbem egreſſi hoſtem fugam ſimulantem inſequebantur, jamque aliquatenus ab vrbe proceſſerant, cum altera Turcici agminis pars, quæ inſidijs fuerat, ſubitò prorumpens ad munitionem accurrit, nec multum abfuit, quin hoc ſtratagemate Caſtello potiretur. Verum præſidiarij animos protinus colligentes ponte demiſſo, vi tormentorum hoſtes propulſos in fugam conuertunt. *Neuheuſel.*

Viceſimo quarto Octobris, certo nunciatur hoſtem inſtructa acie appropinquare, iamque adeò in conſpectu eſſe, quo nuncio accepto, Ferdinandus Comes Hardeccenſis ordines ſuos ita inſtruit, vt Dn. Palfius, cum ſuis cohortibus læuam alam teneret, ipſe verò cum Comite Serino, Nadaſtio & Budiano dextram obiret. Dn. Palfius cum ſuis agmen præcedebat, *Hardeccenſis.*

Interea alterum Turcarum cornu quod ad dextram erat nonnihil reliquos præuerterat, eo fortaſis conſilio, vt Chriſtianorum poſteriores ordines adoriretur; Ferdinandus itaque Hardeccenſis Petro Huſſaro edicit, vt Huſſaris

Palfianis aſſociatis, & ijs qui colore rubro, quique fuluo chlamidati erant, vnâ cum ducentis ſclópetarijs Germanis hoſtium illi cornu antegreſſo occurreret; Ipſe inſtructa acie pene incedebat. Hoſtis ordines ſuos in latum explicauerat, vnde & ipſe neceſſum habebat, vt ſimili forma aciem ſuam diſponeret: Agmine itaque in latum diducto in hoſtem mouet, iamque tàm prope inter ſeſe aberant, vt tormentis vtrinque proſtarent: Hoſtis campeſtres ſuas machinas, quas numero triginta duas ſecum vehebat, maturius diſploſas & ſupra Chriſtianorum cohortes euolantes, abſque notabili aliquo noſtrorum damno fruſtratur; quo facto Chriſtiani confertim in hoſtem progreſſi, ad vnum omnes vnâ cum Baſſiano Budenſi, qui ſe inter ordines agebat, trucidant.

Anno 1594. ad 25. Ianuarij Dominus Palfius expreſſo mandato à Sereniſſimo Matthia Archiduce Auſtriæ acceperat, vt Nouigradum quæ munitio tum ſub Turcis erat primo quoque die expugnaret; Omnibus itaque tàm pedeſtrib. quàm equeſtribus copijs, quibus ille præerat, in vnum collectis, & ad mœnia vrbis adductis, oppugnare eam ſtatuit. Turcæ aduentum noſtrorum conſpicati, obſidionem nòn tulerunt, ſed oppidulo quod ad munitionem erat flammis deuaſtato, in arcem conceſſerunt. Tum verò Chriſtiani continuò tormentorum glandibus impluentes, iamque ipſo Domino Palfio ſeriò obſeſſos compellante in deditionem neceſſitate adacti venerunt.


ILLVSTR. AC GENEROS. D.D. CHRISTOPH. LIB. BAR. A TEVFFENPACH. MAIRHOVIÆ. SAC. ROM. IMP. MAI.A CONSIL. BELLI. & MILITIÆ SVPERIOR. HV̄GARIÆ PREFEC. GENERAL.

NAPOLI

ILLVSTRISSIMVS AC GENEROSVS DD. CHRISTOPHORVS, LIBER BARO à TEVFſenbach, Mairhouię S. Cæſareę Maieſt.à Conſilijs belli & militiæ ſuperioris Vngariæ Præfectus Generalis.

ANNO 1593 die 20. Nouembris Dominus Chriſtophorus à Teuffenbach exercitum ſuum Zetſchinum mittit, qui 23. eiuſdem mēſis die, loco deſtinato adeſt; Oppidani verò Chriſtianis conſpectis, ædificijs paſſim incenſis profugerunt; Vbi ergo Chriſtiani oppidulum nemine prohibente iam tenerent, Præfectus à Teuffenbach incendia reſtringui iubet nec pauca ædificia à conflagratione defendit, oppido ſuorum præſidiis munito.

Inde cum exercitu mouet Blauenſteinium, non procul à Zetſchino, quod incolæ eius loci videntes igne paſſim domibus iniecto aufugerunt, Christiani tamen incendia plæraque prohibentes ſuorum præſidium ibi reliquerunt. *Blauenſtein.*

Simili modo actum fuit cum Salec. *Salec.*

Anno 1594. die quinto Ianuarij, bis mille Turcæ eo fine coierunt, vt paganos in confinio Villecæ *2000. Turcarũ caſi.*

K qui

qui noſtris nomina dederant, incautos adorirentur captosque abducerent. Quod Dominus à Teuffenbach præmonitus, cum aliquot copijs Turcæ obuiam proceſſit, & acri prælio hoſtem victum internecione dolet. Ceciderunt & capti ſunt in eo conflictu Turcarum mille trecenti circiter.

ILLV-


* ILLVSTRISS. PRINCEPS CAROLVS MANSF. COMES. SVMMVS CÆS: EXERCITVS IMPERATOR. OB: XV. AVG: Aº. M·D·XCV.

ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS CAROLVS MANSFELDIAE COMES, SVMMVS CAESAREI exercitus Imperator in Vngaria contra Turcas.

CAROLVS Comes à Mansfeld vir ſtrenu- 1595. Febr.
us, atq; à primo ętatis flore in bellis exercita
tiſſimus, ſub initium Menſis Februarij, ſty-
lo nouo, Anno 1595. à Cæſarea Maieſt. è Bel-
gio vocato recto itinere per Germaniam
contendit, & per Ciuitatem Imperialem Francfortum
verſus Pragam pergit, vt belli aleam contra Turcas expe-
riretur; Veruntamen dum iam in itinere Bohemico eſ-
ſet, ingens aquarum inundatio ſubitò coorta eſt; Itaque
in oppido Bilſen quod ad Pragam eſt, aliquādiu commo-
rari neceſſe habuit.

Septima tamen Martij die Pragam feliciter aduenit, 10. Martii.
& decima eiuſdem Menſis ad Cæſarem clementiſſime
admiſſus fuit.

Exercitus quem conſcripſerat, duo nimirum millia e- 2000. equites
quitum, & ſex peditum millia non multo interiecto tem- 6000. pedites.
pore ſubſequebatur.

Quanquam Electores & reliqui ad Rhenum Principes,
re hinc inde deliberata, ægre ipſi per ſuas ditiones tranſi-
tum permiſerunt. Quamobrem aliquot ea de re inter
Cęſarem & Principes illos literæ perſcriptæ ſunt: Vnde
Principes, Comites & reliqui Ordines ad Rhenum paſ-
ſim præſidia & cuſtodias ſuas in omnem euentum reſtau-

ratas poſuerunt, & ita demum tranſeuntes Mansfeldianos citra noxam abire paſſi ſunt.

27. Apr. 1595. Mansfeldius ſalutatur Princeps.

Porrò Carolus in tanta fuit gratia & autoritate apud Imperatorem, ut non ſolum ad 27. Aprilis diem, Equitis aurati titulo inſignitus, ſed & Principali inauguratione ornatus, & aureo torque inſuper magni precij ab eodem donatus fuerit. Simulac verò pars quædã exercitus Mansfeldici, vna videlicet equitum Turma, & pedites aliquot Pragam aduentaſſent, qui Viennam ipſum deducerent, illis comitatus ad Sereniſſimum Archiducem Auſtriæ Matthiam pergit, Vbi Archiduci ſumma belli commiſſa hic ſummus belli Capitaneus deſignatur.

Paulò pòſt Sereniſſimus Archidux Mansfeldium cum numerata & valida manu ablegatum, ſupremum eorum Ducem conſtituit. Carolus paratis omnibus ad bellum neceſſariis antequam cum vniuerſo exercitu inde moueret exploratores quoſdam præmiſit, qui diligenter circumſpicerent, ſi quò fortè loco hoſtes itinere ipſum prohibituri laterent, cumque nihil periculi ſubeſſe cognoſceret, recto itinere ad Brucam oppidum, quod ad Leythæ flumen eſt, Ovuaram verſus contendens, vno inde miliari prope VViſelburgum caſtrametatus fuit, vbi aggerem mira celeritate atque artificio duxit, ita ut Leytha amnis per medium laberetur, quod equitibus qui ſæpe aliâs cum periculo aquatum egrediuntur erat commodiſſimum.

Leytha flumẽ.

Hoc itaque aggere militibus, machiniſque bellicis probè firmato, ipſe qua potuit celeritate cum cohortibus aliquot Iaurinum accelerat, vt naturam & ſitum loci contemplaretur, quem vbi diligenter contemplatus fuit, ſimulauit ſe cum omnibus copiis arcem illam obſeſſurum

ſeſſurum

ſeſſurum vtque firmiorem adduceret ſimulationi fidem locum figendis caſtris, aggeribusque jaciendis deſignat, & ſigno dato edicit vt omnes omnino cuiuſcunque eſſent dignitatis ſiue ordinis operi manus admouerent: Ipſe etiam ſuo exemplo cęteros alacriores reddens aridorum lignorum faſciculos, aliaque id genus equo ſuo impoſita ferebat.

Porrò cum Nobiles aliquot Vngari manus operi admouere detrectarent, Carolus tandem ad vnum ex ijs equo accedens, peculiariter illi & ſerio iniungit, vt ſuo exemplo ad aggeres conſtruendos lignorũ faſciculos comportaret, quod cum Vngarus ſe facturum negaret, Carolus grauiter commotus, faſciculum quem ipſe equo gerebat Vngari equo impoſuit, hac comminatione addita; Hunc, inquit, ergò tu Vngare, faſciculum ad aggerem perferto, & vide ſic quid aggas, ad quæ Vngarus faſtuoſe vallam obequitans, vbi tam longe à Carolo abeſſet vt ſe ex ipſius oculis jam proceſſiſſe putaret, faſciculum abiecit: quod Carolus à longè conſpicatus, quibuſdam è veſtigio in mandatis dedit, vt Vngarum illum refractarium inſequerentur: comprehenſum itaque vt alijs exemplo eſſet, veſte & armis militaribus indutum de proxima arbore ſuſpendi fecit: quæ ſeueritas & tunc & deinceps profuit, ita vt ſponte & promptiſſime quilibet ſuo loco faceret officium. *Exemplum memorabile diſciplinæ.*

Cæterum poſtquam repentina hæc obſidio Turcis nunciata eſſet, continuò ingens multitudo ex diuerſis locis, præcipuè verò Strigenio, Veſprino, Palotta, ad ſubleuandos Iaurienſes confluit: CAROLVS ergò ſub finem Iunij, media nocte, cum omnibus ſuis copijs

copiis inde celeberrimè mouit; & Strigonium ad 1. menſis Iulii diem cum omni exercitu delatus feliciter obſidet, diuerſisque in locis obſidioni commodioribus, vndique caſtrametatur, Principale caſtrum ſiue vallam inter Strigonium fuit & Zatuarum.

Strigonium obſidetur primo Iulii 1595.

Poſtero die qui erat Viſitationis B. Mariæ Virginis, inuocato diuino numine, & beatiſſima Maria Virgine matre, fortunam belli in Clirario oppido oppugnando cum delecta mille militum manu, & paucis equitibus experiri ſtatuit: Verum cum ad meridiem eius diei circiter horam primam ad id acceſſiſſet, nemo quiſquam viſus fuit qui arma contra ferret, quare magis magisque appropinquãs portas apertas offendit; quãtumuis aũt inſidias ſubeſſe ſuſpicaretur, præmiſit tamen quoſdam, qui oppugnarent. Vbi verò nemo quiſquam appareret, Carolus cum omnibus copiis vrbem ingreditur, & portis vallisque prius munitis diligenter omnia perquiri iubet, ſi quo forte loco ſubterraneo puluis tormentarius defoſſus lateret; verùm nihil deprehenſum præter ignem iniectum & cadauera, cum paucis quibuſdam Turcis ſauciis qui præſidiarios omnes aufugiſſe aiebant. Ignibus ergò, quos profugi domibus iniecerant extinctis, mortuisque terræ mandatis, oppidum noſtrorum præſidio munitum eſt.

Gokora expugnata.

Nec longè pòſt Dn. Palfius, ad Gokarenſem oppugnationem, quæ munitio ex aduerſo Strigonij vltra Danubium eſt, cum octingentis equitibus à Mansfeldio deputatur, is confeſtim ex nauibus ratibusque ponte per Danubium ſtrato, munitionem totis viribus aggreditur, eamque tandem marte fauente expugnat. Turcæ munitionem infirmiorem videntes, quam cui ſalutem ſuam in obſidione com-

ne committerent, deſeruerunt eam, & in vrbem aquaticam conceſſerunt.

Secundo Iulij die duo ruſtici Strigonio profugi indicarunt, Turcas qui in præſidio eius erant in maximo metu verſari, propter tam repente amiſſas duas illas munitiones, Gokarenſem videlicet & alteram quam Glirarium populariter dicunt. Quæ dum ita fierent caſtra interim iuxta Fronſpergij doctrinam aggeribus eductis egregie diſpoſita ſtabant. *2. Iulij.*

Decimo tertio Iulij Chriſtianus quidam diu Budæ captus ad Mansfeldij caſtra profugus retulit, Præſidiarios Budianos iam multo tempore cibariorũ inopia laborarẽ, & ſicubi haberent, id ad ſubleuandum Strigonium inde exportari, quin etiam Turcis tanto maiorem incuſſum eſſe terrorem, quanto hæc obſidio magis ſubitanea eſſet & inſperata, de qua ipſi per ſomnium nequidem cogitarint; adhæc pleraſque Turcarum copias in Transſyluaniam & Valaquiam mittendas eſſe: idem aſſeuerabat, ea quę de ſtrage & Victoria Chriſtianorum de Tartaris parta relata eſſent, quodque in illa ſtrage ſexaginta curribus omnium rerum affluentia onuſtis potiti fuerint. *13. Iulij.* *Tartaris in Tranſyluania fuſi.*

Die 14. Iulij Carolus duos Nobiles ſtrangulari iuſſit, quod ſtationes in nocturnis excubijs deſeruiſſent, qua quidem ſeueritate apud Tribunos, Centuriones aliosque militum Præfectos, atque adeò apud omnem exercitum metum & obſeruationem ſui non exiguam ſibi comparauit. *Duo Nobiles ſtrangulati.*

Porrò circa idem tempus copiæ auxiliares ex Italia Viennam aduenerunt (agmen octo millium ſclopetariorum ſupra quàm credibile foret ornatiſſimum) inter quos erant multi Nobiles Itali, qui non vt cæteri, ſtipendia me- *8000. Itali.*

L rebant

rebant, ſed proprios ſumptus, vitam etiam & fortunam in id bellum conferebant, quorum magnam partem Archidux Auſtriæ Matthias cùm pro more, ſacramento militari eos obſtrinxiſſet, ad 15. Iulij Carolo miſit.

LEGES CASTRENSES.

16. Iulii. Decimo ſexto Iulij, Carolus conſtitutiones & leges quaſdam caſtrenſes in maiorem diſciplinæ obſeruationem promulgat, quas ſeruandas ſeriò omnibus edicit.

I.

Diebus ſingulis mane & veſperi tormenta tria per caſtra diſplodãtur, ad quorum intonationem omnes & ſinguli flexis genubus nomen Dn. noſtri IESV CHRISTI in auxilium contra Turcas deuotè implorent. Concinatoribus autem & confeſſarijs iniunctum ſit, vt ſub grauiſſima pœna, in delinquentes accuratè obſeruent.

II.

Scorta omnino à caſtris arceantur, deprenſa in illis in proximo profluente flumine eueſtigiò ſubmergantur.

III.

Caupones nemini, ex militibus dietim vltra vna menſuram germaniam vini porrigant, ſecus qui fecerit, pœna confiſcationis omnium bonorum mulctetur.

IV.

Quicunque vino ſe iniurgitauerit, aut nomen Domini profanauerit, aut in luſu maiores ſummas depoſuerit, ad Ducis nutum carcere luet.

V.

Vinum ſublimatum idque genus liquida calidiora, in caſtris

caſtris diuendẽdi omninò prohibemus quippe quæ ſquinantiæ, & morborum inflammantium cauſæ ſæpius exiſtant.

VI.

Canes nutrire non quibuslibet permittimus propter fœtorem, imò propter annonam, quæ ex illorum multitudine ſuboritur.

VII.

Si quis per vim cuipiam quid rapuerit, quantumuis vel minimi precij, abſque ulla venia ſtrangulabitur.

VIII.

Nemo quiſquam durante obſidione cuiuſquam conditionis fuerit, sumptuoſa conuiuia apparet, ſub pœna pecuniaria.

In ſumma ea fuit caſtrorum diſciplina, vt ex eius obſeruatione ea, quæ ad vitam ſuſtentandam requiruntur, ſufficienter omnia & precio quidem tolerabili in caſtris proſtarent.

Vltimo Iulij viginti millia Turcarum, qui ex Buda ſecus flumen Danubij conſcendebant, ad miliare vnum infra Strigonium apparuerunt, eo propoſito vt Chriſtianos biduo poſt ab obſidione Strigonij armata manu depellerent. *2000. Turcarũ.*

Qua de re certior jam Carolus confeſtim expeditos aliquot equites, ſiue Hippoſclopetas, eosque Francos orientalis & Vallones in occurſum hoſti ire jubet. Hi vt primùm ad hoſtem propius acceſſerant, ſtatim ad arma proruerunt, tantiſque vtrinque viribus concurſum eſt, vt plurimi occumberent.

Præcipue autem in hoc conflictu duo Chriſtianorum cohortes, & equites circiter centum, ad hæc Præfectus equitum vnus & ipſe Francus natione, vna cum alijs octo vel ſeptem primariæ Nobilitatis equitibus deſiderati ſunt.

3. Auguſti. Poſtero die ad tertium nimirum Auguſti circa meridiem, dum Princeps Mansfeldius in prandio eſſet, nunciatur hoſtem procul apparere: quod cum Carolus intellexiſſet, ipſemet cum aliquot Nobilibus ſtatim accingitur, & rem omnem præſens cognoſcit; Vbi ergo omnia patuerunt, ſigna per caſtra canere, & ad arma concurrere imperat, licet milites vt primùm rumor de hoſte increbuerat, quiſque per ſe jam ſua ſtatione maneret, iamque armis & animis prompti obſeruarent, ne qua hoſtis in caſtra prorumperet.

Hoſtis interea ad agrum S. Georgii inter montes Strigonio vicinos, ex ea parte qua Budam ſpectant, magis magiſque in conſpectum noſtrorum venit, Strigonienſibus nimirum opitulaturus, perſcripſerant enim Budam, ni mature ipſis ſubueniatur, ſe vltra decem aut duodecim porrò dies obſidionem non ſuſtinere poſſe, quod inde colligere erat quod particulas ferri fracti globorum loco diſploderent.

Conſpecto itaque hoſte multa ſane æneарum glandium tormenta in primam Turcarum aciem, quæ præceſſerat, à noſtris diſploſa ſunt. At hoſtis nihil iſtis conterritus, nunc collem conſcendens, nunc via quæ Neuſtadium ducit deſcendens, intrepide agmen ita huc illuc conuertit, vt quo moturus tandem eſſet nemo facile quis colligeret, donec manifeſto tandem appareret, cum recto itinere Glirarium oppidum petere; proinde Dominus

minus Palfius cum Vngaris ſuis qui Præſidiarii erant in eo, obuiam hoſti procedens, tanto impetu in eos ferebatur, vt Turcas cum magna ſuorum ſtrage terga dare compelleret. Hinc aliam viam hoſtes ingreſſi, Valonum caſtra petierunt, donec omnis exercitus ſubſequeretur.

SCHVVARZENBVRGIVS verò ſub odorans, quos hoſtis cuniculos tentaret, aſſumptis ſex ſuorum commilitonibus Capitaneis, & tormentis campeſtribus, fauces quaſdam anguſtas & profundas admodum inter S. Thomam & vicegradum obſidet, norat enim hoſtem haud facile iter ex ea parte habiturum; quare ordinibus diſpoſitis inter montes eos, qui vtrinque ſurgunt hoſtem præſtolatur. Nec multò poſt hoſtis ea ipſa via recta Danubium verſus contendens feruidus ingreditur, adeò vt noſtris prius quàm animaduerſum fere eſſet imminerent. Chriſtiani itaque agmen ſuum ad vtrumque latus diuiſum explicant, & globus in hoſtem modio incedentem ex tormentis campeſtribus impluunt, tantaque alacritate in hoſtem pugnant, vt breui temporis interuallo eum magna ex parte funderent. *Schvvartzenburgius.*

At licet & ipſi Turcæ in noſtros lanceis ſuis acriter ferrerentur, nihil tamen fere damni cataphractis & obęratis noſtris equitibus inferebant, quin imò lanceis ſuis ad ferrata noſtrorum pectora crepantibus, inermes & irrito marte vt plurimùm pugnabant.

Tantis autem viribus & tàm prope concurſum eſt, vt equites noſtri machinas ſuas non niſi in hoſtium pectoribus impactas diſploderent, ita vt non facile irritos globos ſpargerent; dùmque alii globos ſuos iam emiſiſſent, ſtatim alii recentes in ordinem ſuccedebant, qui inſtructi pugnam continuarent.

Hoc modo ter per medium Turcarum agmen perrumpentes, ter retrogreſſi prælium acerrime inſtaurarunt.

Don. Ioan. de Medices.

Porro Don Ioan. de Medices, proximum collem iuxta quem pugnabatur, opere & arte ad id paratiſſimum, ſuis cohortibus & aliquot tormentis maioribus occupans, nouo quodam globos ſpargendi artificio vtitur: loco enim globorum ferri fracti particulas, clauos, cathenarum fragmenta & eiuſmodi in hoſtem diſpergens, non rarò vno impetu decem, duodecim viginti hoſtium & vltra in aerem diſijcit, quin claui paſſim corpora pertranſeuntis turmatim eos corruere faciebant; Hoc itaque in prælio hoſtes adeò attriti, fuſi, & profligati ſunt, vt quatuor eorum millia in acie procumberent, pauci admodum incolumes euaderent.

4000. Turcæ fuſi.

Porrò inter mortuos reperti ſunt duo Baſſæ, item Capitanei & Præfecti Turcici quàmplurimi noſtris incogniti, duo item millia Camelorum & Mulorum, tum ſauciorum, quam ſaluorum, in campo quo prælium commiſſum erat, varijs rebus, vtpote commeatu, pecunijs & alijs ad bellum neceſſarijs, quæ obſeſſis ſubleuandis apportabantur, & maximo precio indicabantur, onuſtorum, vna cum triginta ſex tormentis campeſtribus & viginti ſeptem vexillis hoſtium principalioribus inuenta ſunt; in ſumma præda tam opima erat, vt modum prope omnem excederet.

2000. Cameli & muli.

36. tormenta campeſtria.

Quæ tum ita geruntur, alia ex parte Turcarum aliquot cohortes in vallum noſtrum ad Leythæ flumen, aquaticum dixeramus, irruentes inuaſerunt, ij à noſtris circumuenti ad vnum omnes conciſi ſunt.

Quod non Caroli caſtris ſimiliter eueniret, ipſe duo equi-

equitum agmina circum caſtra ſua locabat, & vt ab omni parte in procinctu eſſent, illis iniungit: At Turcas panicus quidam terror adeò inuaſerat, vt & Valones noſtri plurimos eorũ confoderent, quoſdam etiam vinctos in caſtra adducerent. Vnde nemo non fateri cogebatur, victoriam hanc Chriſtianis diuinitus obtigiſſe.

Princeps Carolus prælium hoc memorabile tanta cum fortitudine atque animi magnitudine ipſemet vbique præſens obiuit, & huc illuc obequitando omnia ita diſpoſuit, vt equum cui inſidebat tribus vicibus recenti alio mutare neceſſe haberet; quin exclamationibus atque exhortationibus in tantum dilaborauit, vt finito prælio grauem raucedinem & ſanguinis epumationem contraxerit, vnde lethalis tandem morbus ſubſecutus fuit.

Poſtero die CAROLVS ſummum Marſcalli Capitaneum, cum expeditis aliquot equitum Germanorum & Vngarorum turmis ad hoſtium caſtra mittit; Hoſtes ſimulac de aduentu ipſorum cognouerunt rebus ſuis diffidentes, belli aleam denuo ſubire non ſuſtinuerunt, ſed per montes ſubito elapſi ſunt.

Beglerbegij tamen Magiſter militiæ, & quidam grandæuus, veſte viridi holoſerica capti & à noſtris in caſtra adducti ſunt; Inde omnis exercitus noſter ad deſerta hoſtium caſtra proceſſit, vbi omnia erant deſolata, præter paucos quoſdam ſaucios & mortuos complures, quia ea forte nocte ea vulnerib. deceſſerant. Porrò tẽtoria hoſtium numero mille & quingenta omnigeno ſuppellectile adeò abundabant, vt quingenta noſtrorum plauſtra ijs auehendis vix ſufficerent.

Tento-

Dominus Kiniskius. Tentorium Beglerbegi in diuiſione ceſſit Domino Kiniskio, Præfecto equitum, eius precium ad quater mille Ioachimicos indicatum fuit, tanto artificio & opere Turcico intertextum erat.

Porrò bis mille Equites illi quos Carol' è belgio adduxerat, hoſti ſane præ cæteris plus damni intuliſſe creduntur, quod tam egregiam in hoc prælio operam nauarent, vt quadringentis equis, & vel mille cimeterris præter alias eximias prædas, & captiuos, potiti ſint.

Carolus poſt prælium commiſſum ſtatim ad Sereniſſimum Archiducem Auſtriæ Matthiam generalem belli Præfectum nuncium mittit, qui victoriam hanc optatiſſimam & marte proſperrimo partem fideliter illi exponeret.

Nuncius Victoria donatur torque. Is ergo ad Archiducem vbi veniſſet, & ſingula ordine vti geſta erant enarraſſet, aureo torque trecentorum coronatorum ab eo donatus fuit. Sequenti die Dominica, quæ ſexta erat Auguſti manè in Guiſinorum templo Litaniam cum ſolennibus admodum ceremonijs, Sereniſſimus Archidux pro tam inſigni Victoria conſecuta celebrari fecit, & ipſe Sacro Officio præſens interfuit. *Grates ad Deum pro Victoria.*

Die ſeptima Auguſti Carolus Strigonium & Neuſtadium ſibi dedi denuò poſtulat, ad quæ Turcæ primo quidem deditionem callide ſimularunt, ea tamen conditione, vt omnibus quæ ferre poſſent ablatis, ſalui dimitterentur.

At quæ Carolus reſpondit non omnino penes ſe eſſe, vt ſaluum conductum ipſis concederet, militare enim in caſtris ſuis tres diuerſas nationes alias, qui diuerſimodi erga hoſtes eſſent affecti, itaq; vt maxime liberum

ipſis

ipſis diſceſſum vellet permittere, periculum tamen eſſe, ne à cæteris trucidarentur; Illi ergo tridui ſpacium ad deliberandum petierunt, quibus Carolus viginti quatuor horas more bellico offert, at illi eveſtigio reſponderunt, ſe ad extremum vſque halitum in propugnatione arcis perſtituros, nec pedem latum inde exceſſuros. Quam Turcarum ſententiam vbi Carolus cognouiſſet, ſex tormenta muralia ad mœnia adduci jubet, & arcem acrius, quam ante hac vnquam oppugnat; aggerem nouum & foſſas alias ad arcis muros vſque pertingentes educit, effoſſis cuniculis, in quibus, niſi prius in deditionem veniat, caſtello aliquot tonnas pulueris tormentarij ſubſternat, & ijs accenſis funditus illud euertat.

Nono Auguſti die Carolus valetudinis ergo Gomaram ſe deferri curat, ſed morbi vis nihilo ſecius non remiſit, quin indies magis magisque inualuit, & Dyſenteria vehemens acceſſit, cui nulla omnino medicina dari poterat.

Carolus itaque ſe in mortis articulo conſtitutum videns, vocat ad ſe præcipuos ex capitaneis, quibus Strigonij obſidionem, & reliqua ad bellum conficiendum neceſſaria ſeriò commendat, nominat etiam tres Capitaneos, ex quibus ſummum militiæ Ducem Sereniſſimus Archidux Matthias in ſui defuncti locum ſufficere deberet.

Rebus ad eum modum conſtitutis tempore pomeridiano, hora tertia, pie & placide Komaræ obdormiuit Illuſtriſſimus Princeps à Mansfeldt ſummus Dux militiæ Chriſtianorum in Vngaria contra Turcam, cuius inteſtina ibidem cum pompa ſplendida & Principe digna, terræ mandata ſunt: Corpus in Belgium translatum eſt.

Carolus Mãsfeldius Komaræ Obiit 1595. nocte inter 14. & 15. Auguſti.

Die nono Auguſti Tabellio Buda miſſus, à Chriſtianis

interceptus in caſtra adductus literas Turcicas ferebat, quibus perſcribebatur, Turcas ex prælio profugos ad Peſtham denuò in vnum colligi: Item Baſſam Iaurinenſem vna cum alijs duobus primarijs Baſſis in prælio occubuiſſe: Item tres Beglerbegi filios adoleſcentes deſiderari, ob quos literæ ad omnes oræ eius Turcas ſubditos perſcribitæ ſint, vt diligẽter inquirerent, nam & illi in prælio occubuerint, ſiue num alicui capti detineantur. Item grãdæuum illum Turcam in caſtris captum, non eſſe Begum Halopenſem quem ipſe ſe finxerat, ſed Baſſam Temeſvvarienſem. Item Beglerbegum cum præcipuis ex Turcis aufugiſſe, quod Imperatorem ſuum ob tantam cladem acceptam metueret. Item quod Præfectus Sigetti ob certas quaſdam & magni momẽti cauſas ad duodecim Auguſti, Budæ capite plectendus ſit. Item Hatuanos & Solnecenſes à Budenſibus per literas ſubſidia petere quod breui etiam ſibi de obſidione metuerent.

Mantuani Equites. Duodecimo Auguſti die aduenerunt in caſtra equites Mantuanorum, cum ſex ſignis ſiue cohortibus peditum è Marchionatu.

Cruckheim direptam. Circa idem tempus Equites Chriſtianorum, qui Ioui prædatori ſacri perhibentur infra Budam vſque prædam petentes vicum Cruckhemium in Inſula Vizze, quæ inter Strigonium & Budam conſpicitur, diripientes incolas omnes internecione delerunt, & merces ſplendidiſſimas rapto abſtulerunt; fuerant autem incolę prędiuites, vt qui tapetis & precioſis aulæis mercaturam illic exercuerint.

Frumentũ hoſti ereptum. Ijdem Equites reditu inciderunt in currus aliquot frumento onuſtos, & viginti octo Chriſtianos captiuos, illis poſiti captos & prædam ad caſtra noſtra verterunt.

ILLV-


ILLVSTRISSIMVS IOANNES MEDICES MAGNI COMES EILIVS IOANNES NEPOS

NAPOLI

ILLVSTRISSIMVS IOANNES MEDICES MAGNI COMES, FILIVS IOANNIS, NEpos, ſummus armamentarij Magiſter.

DEfuncto Carolo cæteri Duces & Præfecti, vt pote Dn. Ioannes de Medices, ſummus armamentarij Magiſter, cum Dn. Palfio de oppugnando Neuſtadij conſtituerunt. Dn. itaque Palfius decimo ſexto Auguſti die cū cohortibus ſuis Germanis & Vngaris ab vlteriore parte oppugnationē ſummo diluculo orditur, cui Turcę tantopere reſiſtunt, vt omnis eius conatus eſſet irritus, pedemque retroferre cogeretur. *Vrbis aquatica appugnatio.*

Sed Don. Ioan. de Medices in locum eius ſuccedens recentique manu eos adortus, ad deditionem compulit, & vrbem in poteſtatem ſuam accepit hora ſeptima eiuſdem diei matutina. Turcæ vero cum res ſuas eo in ſtatu verſari coram aſpicerent, oppidulum paſſim incendijs vaſtantes, in arcem Strigonienſem ſeceſſerunt. Oppugnatio ad tres horas continuata fuit, in ea Capitaneus Betzius globo non tamen lethali vulneratus eſt. *Betzius.* Chriſtiani indireptione trecentos Turcas ceperunt, & equis ducentis alijsque plurimis potiti ſunt, liberarunt quadraginta Chriſtianos captiuos.

Arcem deinde Strigonienſem circumcirca ita obſiderunt, vt obſeſſos aqua omnino intercluderent, vnde in *Arx Strigonienſis obſeſſa.*

thias Vienna oram ſoluens ſecundo flumine ad Chriſtianorum caſtra deſcendit.

Die viceſimo ſecundo Auguſti idem Sereniſſimus non tantum oppugnationem munitionis eius ſerio decernit, ſed & præcipuos & maxime exercitatos milites in id deligit. At quoniam eo ipſo die Italorum & Valorum copiæ, adhæc Rhenenſium equitatus in caſtra aduentarunt, conſultiùs judicarunt, rem conjunctis copijs aggredi, ſiquidem muri arcis adeò tormentis conquaſſati eſſent, vt vltra canibus per eos aditus pateret, ſin minus propoſitum ſuccederet, vt tum demum ſubuerſione, per puluerem in cuniculis ſuccenſum, omnia ſub ruerentur funditus.

Itali | Valone Rhenenſes equitatus in caſtra aduēniāt.

Vltimo Auguſti, octo circiter millia equitum Germanorum, Italorum, Valonum & Vngarorum ad Turcarum caſtra populabundi noctu excurrerunt, & ſummo diluculo leui prælio commiſſo ſexaginta circiter Turcas partim proſtrauerunt, partim ceperunt; Inter quos Begus Copanenſis viuus ſub terram defoſſus & ſepultus eſt.

Eodem die Archidux Matthias in Gokarenſem munitionem, tormentum vaſtæ magnitudinis, quod noſtri per antiphraſin ab horrendo boatu, Modulatricem eine Sängerin, vocant, deduci curat. Huius violentia hoſtis vndique in tantas anguſtias intra arcem redigebatur, vt nullibi in ea tutò vel latitare vel conſiſtere poſſet, quin omnes pariter cuiuſcunque ætatis eſſent qui in arce erant, damnum ex eo tulerunt.

Begus de Copan vivus ſepultus.

Modulatrix.

Poſtero itaque die, quæ prima Septembris erat, ſummo mane, ſigno ex arce dato & tantum globorum grandinem deprecati colloquium inſtitui petierunt, mittunt

mittunt ergò ad nos legatos ſuos, & obſides in vicem recipiunt, qui licet peterent, vt omnibus ſublatis quæ poſſent, per flumen Budam verſus à noſtris deducti incolumes dimitterentur, tamen adſcriptis ſolùm hiſce conditionibus ſaluum conductum acceperunt, nimirum vt latera gladijs accincti, & quantum quiſque ferre poſſet humeris ſublatis, vna cum liberis & Vxoribus ex arce dimiſſi, & ſecundo flumine aucti deſcenderent Budam verſus, relictis equis & aliis quæ haberent in arce: ipſi quoque vice verſa incolumes reſtituerent eos, quos forte captiuos ex Chriſtianis haberent, quorum iam tum vel viginti emiſſi eſſent, ad hæc transfugę Chriſtiani ſi qui penes ſe eſſent, ſimiliter traderent eos: atque ita conuentum hinc inde fuit, in cuius rei fidem Sereniſſimus Archidux Matthias Diplomate à Turcis accepto ſibi ſolenniter cauit.

At verò quoniam eodem adhuc die non omnes ſe ad abitum repentinum parare poterant, ea nocte victi cum victoribus ad id deputatis in arce vna pernoctarunt: poſtridie accincti gladijs & quantum quiſque ferre poſſet, via quæ per Neuſtadium ducit, progreſſi triginta nauibus completis Budam deſcenderunt.

1700. & 1200. ex Strigonio dimiſſi. Erant ex illis mille ſeptingenti viri armis habiles; Vxores, liberi, ægroti, ſaucii erant circiter mille ducenti. Ci. *30. Tormenta.* bariorum & apparatus non tanta quanta putabatur erat penuria. Tormenta bellica omnis generis aderant triginta, quę tamen ob crebras diſploſiones admodum contuſa & nullius ferè vſus erant.

Hoc itaque modo noſtri Strigonium munitiſſimum, Regiam olim, & Archiepiſcopalem Vngariæ ſedem, nunc recuperatam poſſident, quam Turcæ duos & quinquaginta

ginta

ginta annos continuos hactenus obtinuerant; pro qua ineffabili gratia & beneficio D E I Opt.Max. nos in æternum illi gratias agentes, precabimur, vt huic Chriſtianorum expeditioni porrò ſuis auſpicijs præſens adeſſe dignetur.

VICEGRADI IN VNGARIA EXPVGNATIO PER DN. ALDOBRANdinum. Anno 1595.

POſteaquam ad decimum quartum Septembris diem, Vicus Marotz, quem alij Liberum oppidulum vocant, & poſtero die oppidum Vicegradi, cui Turcæ ignem inieccrant, à noſtris occupata forent: die decimo ſexto eiuſdem menſis, arcem munitiſſimam Vicegradum ad Danubium in monte ſitam arctiſſime obſiderunt. Hinc noſtri re bene conſultata, eam ita aggreſſi ſunt, vt nimirum prope duos aggeres eductos, in montem editum directe ex aduerſo arcis ſurgentem, duodecim tormenta muralia non quidem equis, ſed funibus, & maxime aliqua magna & numeroſa hominum manu, manus ipſas operi admouentium, ſublata & attracta ponerentur, quæ continuo diſploſa omnē vim in arcem molirentur; quæ res cum ita in actum deducta eſſet, iamque omnia parata ſtarent, à Turcis deditio arcis ſeriò poſtulata eſt, qui cum nullo modo in eam conſentire vellent, noſtri continuis tormentorum pulſibus per integrum biduum in arcem fulminarunt, adeo vt nec vllus ex Turcis in arcis ipſius propugnaculis conſiſtere vel apparere auderet, poſt tantum tormentorum impetum

Vicus Marotz & oppidum Vicegradi occupatum.

Turcæ cum noſtris tandem in colloquium venire petunt. Dn. veró Aldobrandinus, qui obſidioni præerat, quod Turcæ petitam prius deditionem detrectaſſent, minimè in id conſenſit; donec diſcedendi facultatem ad obſeſſorum antehac Strigonienſium morem ſibi indulgeri ſubmiſſius rogarent, quod licet illi orarent, nihil tamen, præterquam vt gladijs ſepoſitis & ſublatis ſcipionibus calonum inſtar diſcederent, vlterius impetrarunt. Diſcedentes numerati ſunt ducenti ſexaginta ſex, inter quos erat Aga Genitzarorum (qui Strigonio dimiſſus in ſubſidiū arcis huius cum centum quinquaginta Turcis venerat) multæ inſuper perſonæ ſenio confectæ. Sereniſſimus Archidux Matthias ſpectatum eos ſecundo flumine ad caſtra deſcenderat, nec verò multus apparatus aderat, ſed nauibus temerè impoſiti Budam petebant, quod ſpectaculum ex nuditate ipſorum triſtius apparebat. Relicta obſeſſorū bona & facultates Itali vniuerſi ſibi arrogarunt; Turcæ ſane quantum ex ipſorum confeſſionibus conſtat, prorſus impoſſibili rati tot tantaque magna tormenta in mōtem adeò excelſum à noſtris ſublata iri, quæ cum coram aſpexiſſent, ſatis mirari non potuerunt. Fuit autem in cætera hæc quoque cauſa, Turcæ primo in deditionem non conſenſerint, videlicet quòd Sultanus ipſorum ingenti ſuorum clade accepta, munitionem illam antehac ſibi acquiſiuerit; adhęc quod corona inaugurationis regiæ in Vngaria quondam ibi aſſeruata fuerit. Videntes itaque qui VVotzen habitant, præſidiarios Vicegradi in deditionem veniſſe, & ibi locum cum in continenti deſeruerunt, quem noſtri occupantes, præſidio ſuorum impoſito muniuerunt.

Dn. Aldobrādinus.

Vicegradienſes dimittuntur nudi.

Corona Vngaria Vicegradi.

VVotzen occupatum.

S ERE


SERENISSIMVS SIGISMVNDVS TRANSILVANIÆ. VALACHIÆ, ET MOLDAVIÆ PRINCEPS
PRO CHRISTO ET
PATRIA.
NAPOLI

SERENISSIMVS SIGISMVNDVS TRANSYLVANIAE, VALAQVIAE ET MOLDAuiæ Princeps, Comes Zakuliæ, &c.

HActenus omnibus equidem innotuit, qua fortitudine, quo feruore, qua diſciplina atq; animi pręſentia Sereniſſimus SIGISMVNDVS, Tranſyluaniæ, Valaquiæ & Moldauiæ Princeps, Comes Zakuliæ &c. infeſtum infenſumque Chriſtiani nominis hoſtem, Turcam videlicet hucuſque retuderit, plurima Scytharũ millia proſtrauerit, nec ita pridem memorabilem admodum victoriam non procul à Zarbaſſes', de Sinane Baſſa generali militiæ huius Turcicæ Præfecto, glorioſè reportarit. *Victoria Tranſyluani apud Zarbaſſes.*

Taceo ſtragem illam tàm memorabilem, quam initio menſis Iunij, Anno 1595. cum idem Sereniſs. noſter ſolemni more Sereniſſimi Archiducis Caroli filiam ſibi matrimonio iungeret: Turcæ enim de Nuptiarum celebritate certiores tum facti conſtituerant collecto exercitu tricies bis mille militum ad eam feſtiuitatem adeſſe: eius rei Sereniſſimus præmonitus, nulla interpoſita mora, & acie optime inſtructa hoſtibus obuiam procedit, quos ad vnum omnes internecione delet. Inter cæſos reperti ſunt quindecim Baſſæ, præda omnis, omniſque bellicus apparatus noſtris ex aſſe cedebat. *Nuptiæ Tranſyluani.* *32000. Turcarum fuſi.* *15. Baſſæ cæſi.*

Idem Heros & Princeps Sereniſſimus ope Dei opt. max.

proxime elapſis menſibus, non minore animi robore, de eodem Sinane inueterato milite, egregias aliquot victorias, quales vix in hiſtorijs alibi reperias, diuerſis in locis denuò obtinuit. At priusquam ſeriem harum perſequar, quædam ſcitu neceſſaria, nec ab vllo ante hac memorata nunc verò hoc loco ordine à me exponenda, hic paucis præmiſero.

VITA SINANIS BASSÆ.

Sinan 83. annos natus.

SINAN BASSA profugus nunc & Chriſtiani nominis hoſti infenſiſſimus, annum ætatis ſuæ iam octuageſimum tertium agens, natione Albanienſis ſiue Epirota, tyrocinium ſuum fecit Anno Chriſti 1528. ad Viennam Auſtriæ, Anno nimirum ætatis ſuæ decimo ſexto, quando Genitzari ſtipendio meruit; inde Chriſtianorum hoſtis & perſecutor immaniſſimus factus, in hunc vſque diem antiquum obtinet; quam animi ſui crudelitatem abunde ſane demonſtrauit Anno CHRISTI primo, & ſecundo, & tertio, & quarto, ſupra milleſimum, quingenteſimum, ſeptuageſimum, cùm regno Cyprio armis occupato Nicoſiam Famaguſtam, & Goletam expugnaret: Item nouam munitionem prope Thunas in Africa vi caperet, aliaque quamplurima infeſto marte acquireret.

Sinanis tyroc. an. ætat. 16.

Item á ſecretis quondam conſilijs fuit vnà cum Maſtapha Baſſa, Ochial, Ali Baſſa & aliis, quando cruentum decretum fiebat, de incomparabili illo militiæ Præfecto BRACADINO in Cypro præter fidem datam excoriando; de Domino Theophilo ſtrangulando, cæterisq;

Præfectis

Præfectis omnibus more plusquam barbaro ante Muſtaſe Baſſæ tentoriam fruſtulatim concidendis. Horum omnium quidem Sinan hic conſultor tum extitit: At noſtra hac tempeſtate Deus benigniſſimus eum per nominis Chriſtiani propugnatorem acerrimum, Sereniſſimum videlicet Transſyluaniæ Principem, longè lateque fudit profligauitque denuò.

SINAN enim poſteaquam maxima clade affectus multa ſuorum millia deſideraſſet, inter quos complures primariæ autoritatis viri, & ex Baſſis præcipuus quidam HAIDAR nomine fuerant: Princeps autem Tranſyluaniæ ex tormentis recuperatis, commeatu, & reliquo apparatu bellico, prædam admodum opimam retulerat. Hoſtis enim omnino profligatus; quin ipſe Sinanus omnis mali fomes, tum quidem profugus de ponte in paluſtria præceps datus, à ſuis in multorum pernitiem inde ægre extractus, vix euaſit, ita vt ad tempus nihil de ipſo cõſtaret, globone an vulnere ictus perijſſet, anne viueret, & ſunt variorum ea de re variæ opiniones paſſim chartis inuulgatæ, quin nec plerique ſuorum de ipſo aliquid certi affirmare poterant: At veteranus ille & omnis miſeriæ fons ſumma interim feſtinatione ad portam Conſtantinopolitanam conſtitit.

Haidar Baſſa.

Sinan in paluſtria de ponte decidit.

Sinanus ad Portam Conſtantinopolitan.

Nihilq; moratus omnes & animi & ingenij neruos intendit, ſi qua Chriſtianos & maxime Tranſyluaniæ principem vlciſcatur. Et tum quidem ſimul de Tartaris contra Moldauiam & Valaquiam, conſultoribus quibuſdam Chriſtianis & hoc ipſo Sinana profugo tractatum eſt.

Conſultatio contra Moldauiam & Valaquiam.

Verùm vt interea temporis donec à porta Conſtantinopolitana ipſe abſcederet, animũ ſuũ virulentia & tyrandem in Chriſtianos acerbiſſimũ aliquo argumẽto probaret & pri-

& primarijs Turcici Imperatoris Conſiliarij, qui tum Cõſtantinopoli vna erant, ſpectaculum aliquod gratum ederet, parùm memor quam clementer, quamque benignè milites ſui occupato Strigonio à noſtris dimiſſi eſſent; Chriſtianos qui Nandoralbæ miſere in carceribus detinebantur Conſtantinopolim rapi jubet; erant illorum centum & duodecim, præter pueros, mulieres & infantes qui non tantum brutorum more per miliaria centum dies noctesque acti: ſed & compedibus & manicis ferreis innexi famelici, ſitibundi, & ex itineris aſperitate excarnificati, ad hæc præ anguſtia & dolore quem ex corporibus afflictis, & liberorum ærumnis experiebantur, inter funes & ferramenta exanimos plærique concidebant. Dn. Fridericus de Samaria, Dn. de Hofkirchen & Fa. Matthias ſuper currum ruinoſum ferreis vinculis affixi ſimul cum illis abripiebantur. Eos ergo Conſtantinopolim adductos, Sinan Baſſa ante portas conſtitutus, omnes per vrbem in conſpectum Sultani truculenter raptari, & in turrim, quam atram dicant, ad Dn. Oratoris miniſtros & Matthiam Zin, qui multo iam tempore, ad triremes miſerrime datus fuerat, conijci facit.

112. Chriſtiani Conſtant. rapti.

Dn. Orator & Matthias Zin.

Examinatis captiuis inuenti ſunt inter illos quidam Brybegy, quos Turcæ vt primum agnouerunt, ad affixos hamos & vncos acuminatos coniecerunt, illisque impactos ſemianimes huc illuc ſe torquentes, ringentes & trementes lento & crudeliſſimo mortis genere necabant.

Vncorum ſupplicii genus horrendum.

FEMINA


FEMINA CHRISTIANA MILES.

FEmina præterea inter illos reperta eſt habitu virili, ſiquidem Turcæ omnia accurate explorant, ex ea ſeuerè & diligentiſſime quæſitum, nunc ſe ſub tali prætextu etiam libidini proſtituerit; adhæc qui ſimul capti erant ſuper eadem re ſollicite examinati conſtanter & iuramento affirmarunt, quod eam non niſi virum vnquam aliter credidiſſent.

Hæc itaque miles ſubreptitia pro miraculo ad Sultanum adducta, denuo ab illo ipſo etiam ſeuere examinata fuit, & inter cætera interrogata, num ſub tali habitu Turcam aliquem vnquam proſtrauiſſet; ad quæ illa, vt quæ ſibi vtique moriendum putaret, maxime verò tam crudeli carcere jam liberari cuperet, ſe dum ſtipendia feciſſet, nunquam aliter, quantum quidem pro ſua virili præſtare potuiſſet, ac deceret militem ſtrenuum atq; fortem egiſſe nec in velitationibus & præliijs Turcas ſolùm omni impetu retudiſſe, ſed vel decem eorum manu proſtratos & cimeterris fruſtulatim conciſos ſuſtuliſſe. Quibus Imperator Turcicus auditis, pro ſpectaculo eam per totam vrbem circumduci mandat, tandemque Coniugi ſuæ Imperatrici honorarij loco præſentat. Ita factum eſt, vt tota vrbe rumoribus completa omnes conſpectum eius deſiderarent.

Dum hæc aguntur Sinanus interea res ſuas ita diſponit, vt breui ſeptuaginta millia militum in caſtris haberet, inter quos complures erant Genitzari: hoc exercitu inſtructus, ipſe iam iterum inter viuos comparet, & alium *70000. in caſtris Sinani.*

denuò pontem Danubio impenſis vel ſexaginta millium Ioachimicorum ad arcem S. Georgij in Valaquia inſternit, qua de re plura infra dicemus.



Sinani exercitus.

Ponte extructo, & exercitu ex ſententia ſatis copioſo collecto, Sinanus milites ſuos paſſim in caſtella per Moldauiæ & Valaquiæ fines partitur, eo conſilio vt Tranſyluanum in medio concludat, ipſe ſenſim procedens cum exer-

exercitu ſubſequitur. Adiunxerunt ſe præterea Sinano Haſſan Baſſa, & Michael Vayuoda antehac Valaquiæ, tunc transfuga & perfidus, complures etiam alij magnique nominis Turcæ & Tartari. Ipſe Sinanus ad Vrbem Tergouiſtam cum exercitu pergit, vbi cœnobium vrbis ab ipſo in arcem redactum omnique apparatu bellico, commeatu, cæteriſque neceſſarijs abunde inſtructum eſt.

Eo ergò in loco caſtrametatur, quo Tranſyluanum in medio concludens & ditione illa & ſubditis exueret; Verum id propoſitum, vt breui poſt dicetur, in autoris tam inuenerati verticē ſingulari prouidentia DEI redundauit. Interea Sereniſſimus per exploratores, in quos Serenitas eius maximas ſane impenſas facit è Conſtantinopoli admonitus vt adeſſet, ſiquidem Sinanus in ſummam Imperatoris ſui indignationem incurriſſet, tùm quod tātum exercitum, tamque exercitatos ac ſtrenuos milites in prælio cum Tranſyluano commiſſo peſſundediſſet, tum quod Strigonium & alia loca munitiſſima tàm fœde amiſiſſet.

Interea Sultanus naues quaſdam Conſtantinopoli ſoluere mandat verſus Alexandriam, Caramaniam &c. vt frumenta conquirerent, addito expreſſo mandato, vt in quoſcunque inciderent, ſiue viri ij bello habiles, ſiue feminę iuuenculæ forent, quibuſcunque ſane vel in terris vel inſulis, ſiue mari in triremibus, nauigijs cymbis &c. dummodo ijs ſuperiores ſint, indiſcretè raperent & ſecum abducerent; nec vlli nationum præter Venetorum parcerent, adiungit frumentarijs ſimul alias naues, qui vehēdis hominibus raptis eſſent, quæ omnia ſuis ſubſidio eſſe contra Tranſyluanum volebat. *Raptus à Turcis molitus.*

O 2 Quod

Quod propoſitum cum jam innoteſceret, ſtatim qui maritima incolunt, monentur, vt ſibi à Turcarum raptibus præcauerent & vim vi qua poſſent audacter propulſarent.

Hiſpanorum armada claſſe Turcicam infeſtat.

Hinc factum eſt, vt prope Petraſſum & alias Inſulas Armada Hiſpanica infeſtiſſimam claſſem Turcicam habuerit, eo fine, vt à propoſito eam prohiberet, & frumenta cum raptis hominibus, ſi inſtitutum earum procederet vi ab hoſte repeterent: Ipſum autem Cycalam Præfectum claſſis Turcicæ, viuum caperet. Id vbi Turcæ animaduertiſſent, infecta re, paucis ſaltem raptis ſuos retroceſſerunt. Nec longo interuallo poſt aliæ denuò triremes Cõſtantinopoli ſoluunt, eodem quo priores inſtituto, quo priſidia nimirum ampliora contra Tranſyluanum pararent, verùm & ipſæ per Hiſpanos repulſæ ab incepto deſiſtere iterque remetiri coactæ ſunt.

Quapropter Turcarum Imperator aliam viam ingreſſus, complures veredarios aliosque officiatos per prouincias ſuas ire mandat, qui militem conſcribant, vnde facile colligimus, eum potiſſimum Imperij ſui robur in Trãſyluanum conuertere conſtituiſſe, ne qua acceptam cladem multam relinquat.

Cycala.

Conſcripſit præterea Cycalam, cui vt inſtructum haberet exercitum, quem Sinano Baſſæ coniungeret, atque vt bellum in Tranſyluania Valaquia & Moldauia, qua poſſet feſtinatione perſequeretur, mandat; fidem faciens ſe

Chamus Tartarorum.

CHAMVM ad bellum deputaturum, ipſe Cycala modò, nec tempeſtatibus, nec hyemis rigore ſe in ea expeditione impediri patiatur. Adhæc Cycalæ ingentem pecuniæ vim pro exercitu alendo decreuit, vt militibus ſtipendia prompte exolueret, eoſque poſthac diſciplina meliore in of-

in officio retinens promptos & expeditos in armis haberet, neue ciuitates & caſtella temerè adeò deſererent, ſed pugnantes ſtrenuè, ſtationemq; ad extremum aſſererentes, res & ſpes omnis cum ipſis aut ſtaret aut rueret: Curaturum ſe præterea, vt ex Aſia ſi neceſſitas vrgeret, non minus inſtructus exercitus in Tranſyluanos & Pannonas expediretur.

Cum itaque Tranſyluaniæ Prînceps, hincinde hoſtiliter împetatur, & vndique arma arripere neceſſe habeat, adhęc Polonus in Moldauia victorias eius inhibeat, ipſe priores ſuas copias, in quantum potuît, înſtauratiores auctioresque reddidit: ad quas equites Sileſij in quatuor ſigna ſiue turmas diſtributi omnesque probe armati tum primum aduentantes, acceſſerunt; & vt eo magis aduerſus hoſtes ſuos milite præſtaret, Siculis priſtinas immunitates, libertates, jura, bona item hęreditaria non pauca conceſſit; ſiquidem illi omnem operam & fidem ſuam in hoſte propulſando conſtanter promiſerunt, Conditionibus tamen ſubſcriptis expreſſe reſeruatis. *Equites Sileſij.* *Siculi libera natio.*

CONDITIONES ZAEKElijs pactæ.

I.

Vt Ducatus ille toto huius belli tempore, ſui ſumptibus quadragies mille milites expeditos in armis & in caſtris aleret. *40000. Zakelii.*

II.

Vt quotannis de qualibet domo vnum Ioachimicum Principi pendant.

III.

Vt tritici modium vnum,quem germani *ein Strich* vocant,per ſingulas domos quotannis contribuant.

IV.

Vt tantumdem auenæ admetiantur.

V.

Vt Ptiſanæ pro coquenda Cereuiſia, dimidium eiuſdem modij ſingulæ ędes addant.

VI.

Adhæc ſi Serenitas eius pro benedictione diuina auctior fiat Hærede regni, vt quæque domus bouem ſaginatū vnum ipſi in aulam præſtare tum teneatur.

Quæ omnia Zakulij volentes & cupientes rata habuerunt,quin etiam ſtipulati ſunt, ſi,quod dictum eſt, Serenitas eius prole maſcula beatior fiat, quod tum pro honorario ſummam pecuniæ non leuem hæreditario ſuo nato Principi vltrò offerre velint. Quæ cuncta ad Zakulios in caſtris publicata & palam omnibus proclamata fuerūt juramento inſuper ab omnibus volentibus religioſe confirmata.

Zakulij ergò quòd vltra viginti quinque millia in caſtris tum non haberent, illicò præcipuos ex ſuis cum mādatis ire iuſſerunt, qui reliquos decies quinquies mille viros pro petito Principis & Zakuleorum promiſſo ad explendum ſtatutum numerum eueſtigio in caſtra adducerent, quod breui tempore illi fideliter executi ſunt. Quæ cum ſingula eſſent rite confecta, Sereniſſimus plures quā 80000. partim pedites partim equites, omnesque egregie ad bellum inſtructos ſub auſpiciis ſuis recenſuit.

80000. in caſtris Tranſſyluani.

Ipſe præſens inter cohortes in caſtris obuerſatus, tanta ſollicitudine rem omnem obiuit, vt meritò omnibus admira-

mirationi eſſe poſſit, adeò vt ſæpe numero nec cibum caperet, nec menſam aliquam Principe dignam apparari fecerit; neque ſe vllis præterea negocijs, licet vel maxime ad Serenitatem ſuam pertinentibus admiſcuerit: ſed omni cura & diligentia id vnice ageret, vt hoſtiũ vires quaqua poſſet infringeret, & Chriſtianos pro virili ſua ab immani Turcarum tyrannide ſtrenue defenſos daret.

His ita confectis Serenitas eius vndique certior redditur, Sinanum & Haſſan Baſſam vna cum profugo Vayvoda Valaquiæ & Beglijs quàm plurimis Turcisque primariæ autoritatis, atque adeò cum omni exercitu ad munitionem Tergouiſtienſem conſediſſe, ibidemque ad vrbis mœnia & arcem eam caſtrametatum, iamque Tranſyluanum incautum adoriri, & Moldauiæ atque Valaquiæ quæque peſſime ſtruere ſecum conſtituiſſe.

Tranſyluani expeditio in Sinan.

Quæ ſimul ac Principi relata eſſent, hoſtem aperto marte prior aggredi ſumma alacritate præſumit; quapropter per caſtra ſignum pugnæ tubis & tympanis dari imperat, cui ſe omnes accincti parent, Hinc diuino implorato numine inſtructa acie Tergouiſtam verſus procedit.

AQVILA AD CASTRA ADVOLANS.

ECce autem dum ad pagum, qui in finibus Valaquiæ primus occurrit, Principis & aliorum tentoria jam expanſa ſtarent, AQVILA viribus & corporis mole præcellens, de vaſta & excelſa rupe vicina, per aerem delapſa, ſupra caſtra aduolauit, & in principis tentorio ita deſcendit, vt noſtri eam ceperint, & hunc vſque in diem in caſtris ſeruent & alant.

Figu-

Figura hæc ob oculos ponit duo inſignia miracula, alterum quidem terreſtre, ſed cœleſte alterum, Cometam videlicet nouum in cœlo ardentem: & prægrandem Aquilam, quæ ſuprà Sereniſſimi Principis Tranſyluani caſtris in aere ſe librauit.



I Cometa nouus cœlo ſereno apparens.

II Rupes populariter Lapis regius der Königſtein dicta, de qua ſe Aquila volatu demiſit.

III. Aquila

III. Aquila viribus & mole corporis præcellens.
IV. Pagus qui primus in Valaquia occurrit.
V. Caſtra Principis Tranſyluani.
VI. Tentorium eiuſdem.
VII. Exercitus Tranſyluani.
VIII. Vrbs & arx Tergouiſta.
IX. Milites Tranſyluani expugnant Tergouiſtam.
X. Sinanis Baſſæ tentorium & caſtra.
XI. Sinan Baſſa ſua fuga deſerens Tergouiſtam contendit.
XII. Quatuor millia Turcarum, qui prædatum exierant, reuerſi cum præda armentorum numeroſiſſima, ex Tranſalpina abactorum, ſe ad Sinanum ſuum redire putant; ſed in Tranſyluanum incidentes ad vnum omnes pereunt.

COMETA SVPRA CASTRA.

INterea dum Tranſyluaniæ Princeps de itinere ſuo, quod directè in Sinanem intenderet, minime remitteret, jamque ad ſex horarum ſpacium à Tergouiſta abeſſet, Cometa ardens ſupra caſtris Tranſyluanicis aſtitit ad 15. Octobris diem, qui ſole jam orto vltrà horam integram cœlo ſereno conſpectus fuit. *15. Octobris.*

PRINCEPS CONFITETVR ET S. SYNAXI SE MVNIT.

VBI Sereniſſimus ergò ad 16. Octobris prope Tergouiſtam conſtitiſſet, certus intra biduum vel aperto *16. Octobris.*

marte cum hoſte congredi, vel in caſtris, à quibus quartam miliaris partem aberat, eum adoriri, ipſe Princeps cũ præcipuis & quos à ſecretis conſilijs habebat Confeſſioni & communioni ſe præparat, atque vtrunque cum ſumma deuotione præſtat.

Terror panicus in caſtris Sinanis.

Tempore huius diei pomeridiano duo Chriſtiani ex Turcarum captiuitate elapſi in caſtra & conſpectum Principis veniunt, ij ſignificabant, biduo antè tantam conſternationem tam capitaneos, quam gregarios milites in caſtris Sinanis corripuiſſe, vt res plana admirationem & ſtuporem mereatur; maxime verò cum paulo antè Tranſyluaniam & vicina loca populabũdi inuadere voluerint, & quòd hoſtem ipſum in conſpectu nunc haberent. Aiebant præterea Ianitzaros ea ipſa nocte, niſi vi à Sinane inhibiti fuiſſent, fugam meditatos; quin affirmabãt aliquoties centenos Genitzaros ſpreto Sinanis mandato jam tum clàm abijſſe. Quare cum conſternatio hæc & panicus quodãmodo terror procul omni dubio diuinitus tam in Sinanis quam reliquorum corda immiſſus ſit, Sinan totus nunc conſilij inops & animi dubius paucis quas ſecum habebat copijs comitatus, nec illorum, quos ex ſuis prædatum miſerat, reditu expectato fuga ſibi conſulens ocyus abijt, euaſit, exceſſit, erupit, relictis quam plurimis tentorijs expanſis, tormentis item & apparatu bellico cõmeatuq; abundante, & ijs modo ablatis, quæ precioſiora erant, Tergouiſtam venit, & arcem eam quam ex Cœnobio vrbes excitatam communitamque commeatu egregie inſtruxerat præſidio firmat, cuius Præfecturam & propugnationem Haſſan Baſſæ & Michaeli Vayvodæ ante hac Valaquienſi, cum Begis aliquot, & exercitu quater mille Turcarum partim equitum partim peditum, commeatu

Sinan in Tergouiſtam venit.

meatu

meatu apparatuq; rerum omnium, quæ ad arcis defenſionem facere poſſent, ſatis affluente diſcedens committit, fidemque facit de aliquoties millenis poſtero ſtatim die auxilio affuturis. Hoc itaque modo Sinan ille trepidus & feſtinus admodum fugam Bocareſtam vſque fugit, quæ magno diei vnius itinere à Tergouiſta diſtat, vbi exitum obſeſſorum tutus expectare conſtituerat. Verùm quò ſe corripit ocyus, hoc terror eum vrget vehementius, adeò vt nec viris nec equis pabulum ſumendi tempus concederet, priuſquam ad terminum conſtitutum elapſus pertigiſſet. Quem tum jam attigiſſet literis ſcriptis Haſſan Baſſam hortatur ſecus quam paulò ante verbis ipſi promiſerat, vt caſtrum cui præeſſet præſidio, in quantum poſſet firmiſſimo muniret, ſin minus prima occaſione aufugeret ocyus ad pontem Danubio inſtratum & demolitionē eius anteuerteret, eæ literæ à noſtris interceptæ, ad Haſſan non delatæ ſunt. *Sinanis Tergo viſta fugit.*

Sereniſſimus interea per exploratores edoctus, quod Turcæ circiter quatuor millia hominum vtriuſque ſexus & ætatis ex Valaquia abactorum, per pontem adducerēt, jamque in itinere eſſent, Quare quingentos pedites Tranſyluanos plures adiuncturus deſtinat, qui illos per deuia peruerterent, & intercepţos Turcas quidem trucidarent, Valaquios autem liberarent, & res quidem ex voto ſuceeſſit; Turcis enim omnibus deletis captos in libertatem aſſeruarent. *4000. Valaquũ abactorum.*

Decimo ſeptimo Octobris die Sereniſſimus Tranſyluaniæ Princeps caſtra profugi & conterriti Sinanis ad Tergouiſtam nullo impediente cum ſuis occupat, aderat varia ſuppellex, tentoria, tormenta, apparatus bellicus, commeatus, armenta, Cameli, muli, calones *1595. 19. Octo.* *Caſtra Sinani occupata.*

& alia quamplurima. Eodem die Tergouiſtam etiam dedi ſibi more belli poſtulat,

Decimo octauo Octobris die poſteaquam Haſſan Baſſa, vt qui Tergouiſtę Præfectus eſſet (eſt autem Tergouiſta ſedes principalis, & viro principe digna manſio, quam Vayvodæ Valaquiæ habitare ſolent) coram vidiſſet Sinanum fuga ſibi conſuluiſſe, animo ſuo Chriſtianorum exercitum emenſus; adhæc quod Sinanis caſtra à noſtris jam occupata, direpta, & per milites diſtributa eſſent, Tergouiſtam Principi tradere & ſe ſuosque ſaluos præſtare voluit. At Genitzari quorum circiter duo millia aderant in arce neutiquam conſentientes, arma potiùs contra ferre parati erant. Quare Sereniſſimus eo ipſo die adhuc munitionem acerrimè oppugnat, eaque aperto marte potitur, præſidiarios omnes ad internecionem delet, ſolo Haſſan Baſſa excepto; quem Sereniſſimus ipſemet in ſuam poteſtatem captum ſuſcepit; duobus etiam Begis vita indulta eſt, alteri Tergouiſtienſi Syſim, alteri Boccareſtienſi Turan nomine, & præter eos paucis quibuſdam primarijs Turcis. At Michael ille transfuga & Apoſtata, Valaquię priùs Vayvoda, cuius aliquoties ſuprà meminimus inter occiſos repertus eſt.

Haſſan Baſſa captus.

Michael trāſfuga occiſus.

Occupata itaque arce Tergouiſtienſi, omnium rerum copia ſimul aderat, maxime autem frumenti. Sinan enim ex omni territorio illo, tanquam ad granarium & theſaurum aliquem illud comportari curauerat: aderat item apperatus bellicus copioſus, pecunia numerata, monilia aurea & argentea, cum quadraginta duobus tormentis campeſtribus. Quoniam verò tota ea dies ad noctem vſque concubiam in direptione & alijs curandis, vt facile conijcere eſt, inſumpta iam eſſet, & Princeps omnib. quæ

fieren

ficrent præſens adfuiſſet, laboreſque vt plurimùm in ſe ipſe recepiſſet, vti virum Principem & bellicoſum par erat, excubijs præſidijsque diligenter curatis, nocte ea omnia ſiluerunt tam in caſtris, quàm in arce & oppido. Arx itaque hæc præter aliquam notabilem jacturam noſtrorum dicto modo recuperata eſt.

Viceſimo nono eiuſdem menſis, Sereniſſimus ad ſe adduci jubet Haſſam Baſſam, monetque illum ſeriò vt bona fide ad quæſita reſpondeat, dicatque quantæ eſſent Sinanis copiæ in vniuerſum, quid porrò is apud ſe conſtituiſſet, quoue iter ſuum deinceps dirigeret? quid cauſæ ipſum Haſſan eo confidentiæ adegerit, vt manu tam exigua ſe Chriſtianis opponere non ſit veritus. Ad quæ Haſſan animo ſatis confirmato, quin heroico quodammodo vultu, cum reuerentia debita reſpondet, non vltra viginti octo aut ad ſummum triginta millia hac vice in Sinanis caſtris militare, ſiquidem aliquot millia per caſtella & alia loca diſtribuerit, quæ in momento cum ipſo coniungi non poſſent. *3000. in caſtris Sinanis.*

Niſi etiam Tartarorum Chamus, cuius copias auxiliares ad aliquot millia indies expectaret, ipſi ſubueniret, Sinanem ſatis nudum ab exercitu fore, neque commode cum ipſo actum iri. Tum quantum ipſi quidem conſtaret, Sinanem iter ſuum verſus Bocareſtam inſtituturum, expectatum ibi quid de caſtris ſuis & præſidio Tergouiſtienſi fiat, quod ſi res ex voto aliquatenus ſuccedant, mãſurum ibi ad tempus, ſin minus ipſum cum ſuis ad S. Georgium conceſſurum (quæ in Danubio eſt munitio) nimirum vt per pontem illac protenſum euadere poſſet? Quod cum manu adeò exigua ſe principi oppoſuerit, id perſuaſu Sinanis feciſſe, qui certam ipſi ſpem de ſubſidio

adducendo fecerit; ſiquidem recens ille Tranſyluaniæ Vayvoda per Poloniæ Cancellarium conſtitutus expedita jam habeat quinque millia virorum, qui in itinere ſint auxilio affuturi Turcis, ad hęc quòd ipſe Sinan decies mille viros ſtatim altero die ſe miſſurum ſpem fecerit, vnde certò ſubſidium ſibi promiſiſſet, nec ſe vllo modo deſertum fore credidiſſet. Addit prętérea Haſſanus, ſe à Sinane perſuaſum, non eſſe Tranſyluano tam numeroſum exercitum, quam rumore ſpargatur; quin Zakulios iſtos, quos Tranſyluanus in ſuas partes attraxerit, quoſque ipſe Sinan breui à Tranſyluano iterum abalienatos ſibi confœderaturus nullo negotio ſit, in bellis non ita exercitatos, ſed rei militaris vt plurimum imperitos eſſe. Quod ſi abſq; hac fiducia fuiſſet, minime manu tam exigua eo in loco cōſiſturus fuiſſet. Se verò nunc re ipſa experiri, quòd à Sinane dolo circumuentus & commentis atque vana ſpe lactatus in hoſce caſſes inciderit. Aſſerebat idem Haſſan, niſi Sereniſſimus pontem Ocyus præuertat, certò Sinanem per eum euaſurum, nec facile deinceps ad laqueos poſitos rediturum; quod ſi ipſius Serenitas pontē præoccupat, haud dubie Sinanem jam in ipſius Sereniſſimi manus inciđiſſe.

Porrò idem Haſſan Baſſa apertè coram Sereniſſimo loquebatur, quod rationes ſuas aliter inire non poſſet, quàm Sinanem deliberato & ſtudioſe hoc infortunium (quod Sereniſsimo tamen feliciter ceſſiſſet) ſibi Haſſano ſtruxiſſe, & eam quidem ob cauſam, quòd pater Haſſani acerbo odio in Sinanum vſque flagrauerit, idque certis quibuſdam de cauſis; proinde quibuſcunque modis & rationibus fortunam Sinanis impedierit.

Nunc

Nunc cum Sinan animum ſuum liuore & inuidentia plenum, adeoque vltionis cupidiſſimum in Mahomete patre ſuo, pro libitu exaturare non valuerit, id in filio, in ſe nimirum Haſſanum demum tali artificio præſtiterit. Interea etiam, vbi iam dicendi finem feciſſet Haſſanus, detulit Sereniſſimo centena millia Vngareorum Scutatorum, ſi libertati clementer reſtitueretur: inſtans ſimul rogando vt cuſtodia benigniore haberetur. *Haſſan Baſſa centena millia ſcutatorum pro liberatione ſui offert.*

Ad quæ vltimò petita Sereniſſimus haud multa ſanè reſpondit, ſed eum in locum deputatum reſtituit, adhibitis cuſtodibus ordinarijs. Itaque poſteaquam Sereniſſimus ſingulo ex Haſſano percepiſſet, arcem oppidumque ſatis firmo præſidio communit, Sinanamq; abſque mora perſequi inſtat. At is ſimulac per exploratores de amiſſa Tergouiſta deque omnibus quæ acciderant, certior eſſet, animo plane conſternatus, iam ipſam quoque Bocareſtę munitionem apparatu omni bellico inſtructiſſimam relinquere & tertio demum loco, ad munitionem nimirū S. Georgij, ponte ſuperato caſtra figere conſtituit, ſimulque propoſitum ociſſime exequitur, ita vt tormenta aliquot, commeatum item, Camelos aliumque apparatum bellicum fugiens, Bocareſtæ in magna copia præ feſtinatione reliquerit. *Sinan Bocareſtam fugit.*

Dum hæc fiunt interea quatuor millia Turcarum illa, quot SINAN prędatum exire iuſſerat, nec dum ipſo ex caſtris fugiente, reuerſa tandem omnium geſtorum ignari ad caſtra priſtina redeunt credentes ſe SINANEM ſuum petere, verùm in noſtris incidentes, ad internecionem omnes deleti ſunt, & omnis præda quam adduxerant victoribus ex aſſe ceſſit. Abegerant autem ex Moldauia & Valaquia ſexaginta millia armen- *4000. Turcæ cum præda reuerſi.* *60000. armentorum abacta.*

armentorum, quæ Sinan Conſtantinopolim miſſurus fuiſſet. *Moldauia & Valaquia fertilitas.* Moldauia aũt & Valaquia pecore & frumento adeò abundant, vt non carnes ſolùm pro tota Conſtantinopoli abundè ſuppetant, ſed & quotannis, ad minimum centum & quinquaginta naues reliquis victualiis onuſtas per nigrum mare, conſtantinopolim mittant, quæ tantæ commoditates hoſti nunc pro ſingulari gratia & benignitate Dei Opt. Max. per noſtros penitus præciſæ ſunt.

21. Octobr. Die viceſimo primo Octobr. Sereniſſimus ſummo diluculo caſtra ſua Tergouiſta mouit, aſſumptis copijs præter eos, quos in præſidio poſuit; inſtructisque ordinibus Bocareſtam contendit, Sinanem captatum: qui dum in itinere eſſet, paſſim in plurimos Turcarum, qui ter, quater vel quinquies centeni partim equites, partim pedites palantes Sinanem ſuum præuium ſubſequebantur, incidens, eos ad vnum omnes tollit, cuius rei paſſim per agros indicia ex cadaueribus peti poterant.

Dum vero Sereniſſimus totum agmen jam Bocareſtæ admouiſſet, Sinanus paulo ante eum ſuis inde exceſſerat, petens recta pontem quem Danubio inſtruxerat, & arcem S. Georgij, quare Sereniſſimus Bocareſtam nullo prohibente occupat, tormenta, commeatus, apparatus bellicus in copia aderat, munit arcem præſidio, & Sinanem profugum recta cum copijs ſuis per ſequitur; in qua inſecutione ſimiliter in aliquot millia Turcarum incidens, omnes ferro excindit, ita vt ad aliquot miliaria cadauera humana, equorum, Camelorum ſparſim jacerẽt, & aer totus grauiſſimo fœtore inficeretur.

Poſtea-

Poſteaquam Sereniſſimus ad S. Georgium iam conſtitiſſet, Sinani ſatis mature eius aduentus ſignificatus erat: Is ergo licet ponte citerior illo, longiſſime per Danubium proteſo, iam ſuperato, cis arcē caſtra metatus eſſet, ſigna



tamen quantum poterat, trepidus vellit, & per pontem vlteriorem cum paucis quibuſdam ex ſuis velociter elabitur. *Sinan à S. Georgio elabitur per pontem.*

Q Quin

Quin & hoc ſtrategemate hoſtem remoratur, ſimulac pontem ſuperaſſet, rebus ſuis porrò diffidens, pontem in quem plus minus ſexaginta millia Ioachimicorum ſumptus fecerat, ex ulterioris ripæ parte abſcindit, ignique conſecrat, ita vt & hoſti & ſuis, quos ad aliquot millia poſt ſe reliquiſſet, tranſitum intercluderet. Inde noſtri relictos ferro adorti, ancipiti marte rem gerūt, donec omnes noſtrorum copiæ in vnum colligerentur, & Sereniſſimus ad ſexaginta millia ſecum militantes numeraret, qui Turcis tantopere inſtabant, vt plurimos in pontem retrocedere, ſeque in flumen pręcipites dare cogerent: ad hæc qui fugientes Sinanem per pontem ſequi & vlteriorem ripam contingere inſtabant, illi abrupto ponte præpediti, noſtris præda erant. Si quidem Sinan ex vlteriore ripa pontem præciderat, & Chriſtiani idem in citeriore parte facientes, Tartaros & Turcas qui medium pontem tenebant magno ſane numero in exitium adducunt.

60000. in Caſtris Sinani.

Danubius enim eo in loco alia duo flumina in ſe recipiens, ad quartam vnius miliaris germanici partem, & eò amplius ibi patet. Qui ex Turcis reliqui in Inſula erant, & ipſi à noſtris circumuenti ferro occubuerunt.

Latitudo Danubii.

Interea dum omnia cædibus feruerent, quidam ex Sereniſſimi militibus, eum, qui in arcem ducit pontem, vi quoque occuparunt. Arx enim circumcirca protenſo Danubij brachio ſatis amplo alluitur.

S. Georgii ſitus.

Erant ſolummodò ſeptingenti præſidiarij in arce, qui licet numero & viribus noſtris planè impares eſſent, ita vt de ſalute ſua nihil confidere poſſent, ſtrenuè ſe tamen tantiſque viribus noſtris oppoſuerunt, vt globorum grandine non

ne non leue damnum noſtris inferrent. Tum quidem noſtri ob feſtinationem & itineris incommoditatem, vltra quatuor aut quinque tormenta magna (licet etiam reliqua poſt adducerentur) nondum in promptu habebant. Sereniſſimus itaque Dominum Sil Dricolomini ſummum armamentarij magiſtrum ad ſe vocat, & vt ipſe tormenta illa arci admoueret, eum admonet. Is oppugnationem tormentorum glandibus auſpicatur, verùm cũ dies iam inclinatus eſſet, nihil ea nocte, quæ 26. Octob. erat, vlterius confectum eſt.

Dricolomini armamentarĳ ſummus magiſter.

Sed media nocte ſequenti tormentis continuis res acta, donec illuſceret, & muri ſatis amplo hiatu iam paterent, adeò vt milites incurrere & muros conſcendere poſſent. Turcæ ſe contra omni vi & impetu defendũt, tormenta intonant, volant ſaxa, ſparguntur ignes.

Noſtri nihilo ſecius inſtant, vrgent, & bonam muri partem occupant, cui vexillum indant ac Turcas præſidiarios in inferiori propugnaculo collectos omnes trucidant, reliqui ad extremum ſe defendunt: centum ex Turcis ſe ex arce præcipites in Danubium dederunt, ſaluti ſi poſſent conſulere ita volentes, verùm quòd arx à noſtris circumcirca arctiſsime obſeſſa eſſet, delapſi etiam noſtrorum globos nõ euaſerunt, ſed aut traiecti aut ſubmerſi perierunt.

Caſtrum S. Georgii expugnatum.

Sinan antequam Chriſtiani Inſulam eam, quæ ſatis per ſe ſpacioſa eſt, tenerent, naues ex vlteriore continentis ripa ad Inſulæ oram traduci curauerat, & ipſe ex aduerſo arcis, ad eandem oram appulerat, aliquot tormenta maiora ſecum aduehens, & quaſdam ex eo

Q 2 genere

Sinan ex ora Inſula noſtros impugnat.

genere machinarum quas duplices Falcones vocant, quibus continenter diſploſis, nõ leue damnum noſtris militibus, qui in arce oppugnanda & circa eandem circumfuſi occupabantur, inde inferebat.

Sinan ex Inſula fugatus.

At vbi arx à noſtris teneretur, iamque omnis in poteſtatem noſtrorum venerat, magna tormenta ad illam inſulæ oram Chriſtiani conuertunt, Sinanemque illarum impetu eò adigunt, vt noctu cum ſummo dedecore & infamia ſic inde ſoluere & ad vlteriorem continentẽ ripam elabi neceſſe haberet, ad quam fugam naues jam tum in procinctu habebat. Porrò vna Galeata, quæ inter inſulam & pontem media tenebat, & ad bis mille quingentos Turcas & Tartaros vehebat, globorum nube á noſtris ſubruta & ſubmerſa perijt, pauci admodum ad inſulam appulſi emerſerunt.

2500. Turcæ cum triremi pereunt.

Noſtri eadem vice tormenta aliquot in alia triremi recuperarunt, quæ priore anno Turcæ in Inſula Scythica noſtris eripuerant, in arce fuerunt tormenta maiora triginta nouem, plurimum item apparatus bellici, cõmeatus & alia neceſſaria fuerunt; qui præcipue nitidiſſimi generoſiſſimique Traſalpini, quos Sinan Conſtantinopolim mittere cõſtituerat, ſed temporis anguſtia & Chriſtianorum aduentu improuiſo ab inſtituto prohibitus eſt; aderant muli, Cameli, tentoria plurima, & quæcunq; alia precioſiſſima, quæ noſtris omnia ceſſerunt, ſuntq; ſimul 4000. Chriſtianorum præter Vxores & liberos, quos Sinan ex Valaquia abegerat, libertati ſuæ reſtituti.

Tormenta recuperata, quæ Turcæ prius noſtris eripuerant.

Ducenti quinquaginta circiter noſtrorũ in arcis huius oppugnatione occubuerunt, complures vulnerati; Turcarum & Tartarorum à decimo octauo Octobris ad vltimum vſque eiuſdem menſis, tùm hîc tum alijs in locis, vtpote

pote

pote Tergouiſtæ, Bocareſtæ, & in perſequendo eos, perierunt viginti ſex millia. 26000. Turcarum cæſa.

Cum itaque Sinan vna cum ſuis jam tota ea regione & orbe Chriſtiano profligatus, maximam ſuorum ſtragem acceperit, quin & ipſum promontorium Imperij Turcici, tres videlicet regiones haſce, Tranſyluaniam, Moldauiam & Valaquiam omnino amiſerit, quare noſtri pontem eum, de quo hactenus ſermo fuit, totum vulcano tradiderunt triceſimo Octobris die, ne videlicet Turcæ poſthac excurſionibus ſimile quid in eas terras, beneficio pontis, molirentur. Recuperatum ſane hoc bello fuit tantum terrarum, quantum à nullius memoria repetere poſſis, quòd Turcæ illud ſibi acquiſiuerint. Tanta autem virtus atque animi magnitudo Sereniſſimi Principis Tranſyluaniæ effulſit, vt omnium admirationem plane mereatur, & diuina gratia in omnibus manifeſta appareat. Pons totus igne abſumptus.

Quemadmodum itaq; Deus Mansfeldium egregium, per inferiorem Pannoniam, belli ducem nobis eripuit: ita idem Deus clementiſſimus Ducem & Heroem alium lõge bellicoſiſſimum fortiſſimumque SIGISMVNDVM videlicet Tranſyluaniæ Principem nobis in locum demortui Mansfeldij ſuſcitauit: qui diſciplinæ militaris obſeruationem ſanctè cuſtodiens digniſque honoribus atque meritis provehens, Turcis ſolius Serenitatis ſuæ audito nomine non minus formidini atq; terrori exiſtit, quàm in Vngaria Mansfeldij memoria priùs illos contremefecerit, id quod aliquot Turcarum primariorum captorum confeſſionibus inuulgatum eſt, qui ſe ex ipſo Sinane non ſemel audiuiſſe affirmabant, Principem hunc adhuc iuuenem Sinani ſibi veterano, omne partum decus, omnem gloriam & beatitatem, quam tot annorũ

duriſſimis laboribus hactenus conquiſiuerit, penitus abſtuliſſe, & quantumuis manus illius effugerit, ſe tamen admodum metuere, ne per eundem hunc Principem in decrepita ætate & vitæ ſuæ & bonorum honorumq; omnium jacturam pati cogatur: Siquidem omnes rationes, quas contra eum inierit infeliciſſime ſibi hactenus ceſſerint, & triſtem damnoſumque exitum plerunque ſortitæ ſint.

Nec verò dubium eſt, ſi Sereniſſimus ſex ſaltem horarum ſpacio, ad munitionem S. Georgij præuertiſſet, quin Sinani ſuperueniens, eum in poteſtate ſua nunc haberet. Eſt autem idem Sinan fons & ſcaturigo tàm hactenus acti quàm futuri belli in Pannonia, omniumque impenſarum, quas maximas in id hucuſque factas conſtat.

Propoſitum Tranſyluani.

Cum itaque Sereniſſimus nunc Danubio intercluſus, Sinanem vlterius perſequi prohibeatur, ſtatuit ipſius Serenitas, aſſumptis viginti quinque aut triginta militum millibus, expeditionem in Moldauiam & Valaquiam ſuſcipere, vt illic aduerſitates & turbas à Polonicis illis Turcis & Tartaris motas Deo fauente componat.

Munitione itaque S. Georgij præſidio pro tempore ſufficienti communita, Sereniſſimus iter ſuum remetitur.

Prædæ enumeratio.

Præda quam reportarat ingens ſanè erat, tormenta magna plura quam centum; apparatus bellicus inſtructiſſimus; frumenti copia immenſa; Camelorum, Mulorum, Equorum generoſiſſimorum tanti greges, vt nec equites nec ductores illis ſufficerent, ſed gregatim agi neceſſe haberent; armentorũ multa millia; pecunia prompta, aurea & argentea monilia, tentoria &c. quæ omnia in hac excurſione, impreſſione, perſecutione & Victoria,

ex ſingulari gratia Dei Opt. Max. Sereniſſimus feliciſsimo ſucceſſu obtinuit.

Idem Sereniſsimus vicos duos, & munitionem vnam ſatis ſplendide in monte ſitam, quam Turcæ Rueſſing vocarunt, poſt occupationem S. Georgij armis quoque expugnauit.

Sequuntur

ACTA QVAEDAM, QVAE ET IPSA IN menſe Nouembri contigerunt, ſed in continuatione precedentis Hiſtoriæ Tranſyluanicæ prætermiſſa erant. Literæ item aliquot, tum Latine, tum Germanicè à primarijs quibuſdam viris, earum rerum bene gnaris perſcriptæ, quas in teſtimonium & confirmationem præmiſſorum adiecimus.

DVm Sereniſsimus Tranſyluaniæ Princeps in expeditione contra Sinanem occupatus eſſet, munitionem & arcem Iennam dictam, propter quam via regia ad Iulam & Temeſvvar ducit, per ſuos obſideri facit; erant in ea ſeptingenti Turcæ & vltra, præter vxores & liberos, vna cum præcipuo quodam Bego Sangiachi, ij viceſimo quarto die Octobris munitionem eam dediderunt, veniam deprecati, cum quibus eiuſmodi conditionibus conuentum eſt, vt accincti gladijs ad Panodam vſque deducti ſalui dimitterentur; Sed quoniam libera armentariorum cohors certior erat, Turcas eos conſpiraſſe clam cum reliquis, qui Iulæ & Temeſvvaræ erant, vt vbi cum ſuis jam per Chriſtianos deducti, è Iēna diſceſsiſſent, Temeſvvarienſes prope Panodam in inſidijs eſſent, & deducentes Chriſtianos adorti proſternerent.

Ienna obſeſſa & occupata.

Sangiachi Begus.

Dimiſſos

Dimiſſos itaque Turcas armentarij in itinere inuadūt, ſpoliant,& ferro è medio quadringentos tollunt, prædam que diuitem admodum reportant: nec multum morati, vlterius in Turcas illos qui in inſidijs locati prope Panodam Chriſtianos deducentes præſtolabantur, recta pergunt, & leui quidem ſed acerrimo & diuturno prælio cōmiſſo vtrinque plurimos proſternunt, tandem tamen armentarij victores facti tormentis campeſtribus ſex potiuntur, hoſtes reliquos in fugam agunt. Hinc maximè commoditates VVaradenis natæ ſunt,& viæ publicæ quibus Iulam & Temeſvvarum tranſitur, ad aliquot miliaría ſecuratæ.

400. Turci ſuſi.

VVillagoſmar.

Eodem die Sereniſſimo literæ ſunt redditæ, quibus cōfirmatur Turcas etiam VVillagoſmarum tradituros, iāque certis conditionibus cum ijs conuentum eſſe; ne proinde occupandis munitionibus, arcibus, vicis &c. mora vlla fiat: Siquidem Sanzacus in Ienna aperte confeſſus fuerit, Turcarum Imperatorem admodum nuper nunciós paſsim ad Baſſas & Begos ſuos aliosque officiatos miſiſſe, qui ſententiam eius de munitionibus Turcicis à Chriſtianis obſeſſis ad illos talem perferrent: Nimirum vt quaſcunque munitiones præſidiarij ſui non defendere poſſent, eas tempeſtiue traderent aut deſererent, quo viri bellicoſi à diſcrimine & internecione vindicarentur.

Ianos Albertus

Paucos ante dies Ianos Albertus fuit Temoſvvari, inde Conſtantinopolim ad Sultanum perrexit, nec dubium eſt, quin monſtri aliquid alat.

Sūcko Pathori Iſtuan. Cardinalis.

Suncko enim Pathori, Iſtuan,& Cardinalis, filium Iſſio Iani ad Sultanum ablegauit, ac hi quidem nunc cum Sinane agunt, cuius rei nos certi ſumus.

Nec

Nec minus indubitato refertur, potiſſimam partem exercitus Sinanici fuſam in Tranſalpina parua admodum noſtrorum jactura.

Sequũntur

PRIMÆ LITERÆ LATINE SCRIPTAE, DN. PETRI ALFONSI CARILLII, Sereniſſimi Principis Tranſyluani à Confeſſionibus & Concionibus aulicis, quibus ille agit de fuga Sinanis Baſſæ, de Victoria ab eodem reportata, &c.

1. Epiſtola latine ſcripta.

HODIE mane ad me miſit ſereniſſimus quẽdam nobilem, per quem de ſtatu belli certior fierem. Is à ſereniſſimo deceſſerat. 16. Octobris, quo die confeſſionem & communionem ſereniſſimus princeps inſtituerat vno quartali miliaris diſtante à Tergouiſto, vbi Sinanus ſuum exercitum habet. Decreuerat autem ſereniſs: pugnare poſt duos dies, heri nimirum 18. Octobris. Decima verò quinta ad auroram, vidente etiam nobile, Cometa apparuit ſupra exercitum ſereniſs: amplius quàm per horam cœlo ſereno. Cum autem iam veniam diſcedendi voluiſſet accipere hic nobilis à ſereniſs: adducti fuerunt duo Chriſtiani à manibus Turcarum liberati, qui fatebantur adeò fuiſſe Turcicum exercitum conſternatum vicinitate tanta ſereniſſimi, vt Sinanus, in ea nocte ne aufugeret exercitus, vix potuerit efficere. Conſtat tamen vnam partem Ianizarorum, inuito Sinano receſſiſſe: Affirmat nobilis, ſibi videri exercitum ſereniſſimi 80. millia vel certè

maiorem ſtrigonienſi exercitu anni elapſi, cui ipſe inter fuerat. Heri reveniens Claudiopoli, hic reperi literas, P: Valentini ſocietatis Ieſu, quem miſi cum Sereniſsimo pro concionibus Hungaricis, datas 6. Octobris, qui refert, cum tentorium Sereniſs: Principis extenderetur, ad primum pagum Valachiæ ad illud ex edita rupe vicina, quã vulgo vocant Lapidem Regium, Aquilam prægrandem advolaſſe, atq; in illo ita condeſcendiſſe, vt à noſtris capta fuerit, quam ſervant & alunt in caſtris pro bono omine, ſed arbitror melius omen eſſe, quod idem pater addit, crebras in caſtris eſſe confeſſiones, & multos ad fidem Catho licam converti. Dat. Alb: Iul: 19. Octobris, Anno 1595.

Sit Deus benedictus in ſecula, qui pro ſumma ſua benignitate cõceſsit 18. Octo. Sereniſ: Principi, vt abſq; vllo ſuorũ ſanguine de Sinano triumpharet, ſenex enim & inveterat⁹ dierũ malorũ Iuvenis Principis conſpectũ paſſus non fuit, ſed perculſus timore, intelligens conſtitutum eſſe omnino pugnare, magno cum dedecore duab. horis antequã veniſſet Sereniſs: Tergoviſtum, cum exercitu aufugit, relicto tantũ præſidio 4000. Turcarũ cum Haſſan Baſſa & Michael Vaivoda, olim Valachiæ, nunc verò Turca facto, in arce, quam ex monaſterio Civitatis excitarat & munierat. Sereniſsi: potitus fuit plurimis prædis & Bombardis Sinani, cepit & inter fecit plurimos Turcas qui cum procul iviſſent prędatum, revertebãtur ad caſtra Sere: tanquã ad caſtra Sinani, miſeri verò tũ capiebantur & mactabantur, gementes agnoſcebant mutata caſtra, Die tandẽ 18. Octob: Sereniſs: vi cepit arcem Tergoviſtam, & civitatem, interfecto toto præſidio. Ipſe vero propria manu Haſſan Baſſam cepit, quem ideò interfici non eſt paſſus, alij Beglij capti, & Miſer Michael Vayvoda olim, meritò perijt. Si-

jt, Sinanus per Turcam à noſtris captum, literis monebat Turcas præſidiarios, vt, ſi poſſent, relicto præſidio, aufugerent, ſe celeriter pergere ut traijceret Danubium, quare ivit verſus Bohorreſtum quem noſtri inſequi conſtituebant. Magna audacia aliquot diebus ante quingenti ſoli pedites Tranſylvanici per invia venerant ad loca inter Danubium & Bohorreſtum, vbi plurimos Turcas interfecerunt, & liberarunt 3000. Chriſtianorum Valachorum, qui à Turcis captivi abducebantur.

Ex literis P. Alphonſi Carillij Sere: Tranſyl: Principis Confeſſoris.

Literæ Dn. Stephani

IESTO, EX ARCHIVO SERENISSIMI Principis Tranſyluaniæ, datæ ad virum quendam primarium, Anno 1595. 24. Octobris.

II. Epiſtola ex Germanico verſa.

PRæciſè circa Veſperam tabellarius ex Tranſyluania venit; qui læta nobis & fauſtiſſima attulit; videlicet Sereniſſimum Tranſyluaniæ Principem planè ſecum conſtituiſſe ad 18. Octob. cum Sinane Baſſa aperto marte & inſtructa acie, omnibusque copijs ſiue iuſto prælio congredi, ſiue in caſtris cum ad Tergouiſtam aggredi: Sinanem verò per exploratores ea de re præmonitum, quæcunque habuerit precioſiſſima, quæque tumultuarie ſpacio duarum aut trium horarum cogere & comportare potuerit (quæ ſane ingentem theſaurum æquarint) currib. & equis impoſita (nec expectatis quidem ijs quos prædatum excurrere iuſſerat) aliò deportari ea, & primum

quidem Bocareſtæ deponi curauiſſe; Ipſum verò cum toto exercitu ſubſecutum, relictis tentorijs, aliquot tormētis maioribus, plurimo apparatu bellico, commeatu, alijsque multis.

Tum verò Sereniſſimum Tranſyluaniç Principem recta Sinanis caſtra inuaſiſſe, omnibus ijs potitum. Interea dum aliquot millia Turcarum, quos Sinan prædatum excurrere juſſerat, reuerterentur, credentes ſe caſtra ſua & Sinanum repetere, incidiſſe eos in exercitum Sereniſsimi; vna cum innumero armentorum grege, quem ex Moldauia & Valaquia abegerant, abactores ad vnum omnes occiſos & paucos quoſdam primarios ex illis captos: Noſtros Tergouiſtam vrbem & arcem ipſam, quæ ex cœnobio vrbis excitata eſt, prope quam Turcæ caſtrametati fuerint, ſimiliter expugnaſſe, præſidiarios etiam ad vnum omnes ſuſtuliſſe: præter Haſſan Baſſam, quem Sereniſsimus manu ſua ſuſceptum ſaluarit; præter etiam duos Begos primarios.

Michael transfuga. Michaelem antehac Valaquiæ Vayvodam, ſed transfugam deinceps & apoſtatam inter cæſos exanimem repertum; atque hæc quidem omnia, ſingulari prouidentia Dei abſque notabili noſtrorum iactura felicisſimo ſucceſſu occupata & obtenta teneri.

Viceſimo primo eiuſdem menſis Sereniſsimus cum omnibus copiis Tergouiſta mouit, & hoſtem profugum perſequendo cepit arcem & vrbem Bocareſtam. Expectamus quotidie bona noua, nimirum, vt aut reliqui Turcæ planè fuſi aut tota illa ditione profligati perhibeantur. Datæ Albæ Iuliæ 24. Octobris. Anno 5195.

Sequitur

Sequitur.

SYLLABE LITERARVM VIRI CV-IVSDAM à SECRETIS SERENISSIMI, EX Claudiopoli, de fuga Sinanis, de eiuſdem expeditione &c. ſcriptarum ad virum ſpectatum 26. Octob. Anno 1595. *3. Epiſtola ex germanico verſa.*

SErenißimus Tranſyluaniæ Princeps ad vxorē & quoſdam à Secretis ſuis tabellarium aulicũ Tergouiſta, quę in Vallaquia eſt, amandauit decimo nono Octobris, qui heri ſub veſperam huc Claudiopolim aduenit, is certa & fauſta quædam nunciata in literis ad nos perfert, de ijs quæ huc vſque in Valaquia euenerunt, videlicet Sinanem Baſſam Principis noſtri aduentu conterritum ocyus profugiſſe pręfeſtinatione, trepidatione, & puſillanimitate, caſtra ſua, tentoria, apparatũ bellicum, cõmeatum &c. calones item plurimos in caſtris reliquiſſe, quæ omnia Sereniſsimo noſtro ceſſerunt. Scribitur præterea in ijſdem literis, quod aliquot Turcarum millia ad Sinanis caſtra cũ numeroſo armentorum grege & præda varia ex Moldania & Valaquia paſsim abacta ad caſtra deſerta reuerſi ſint, ignari quæ gererentur, maximè autem fugæ Sinanis ſui; ſeque iam ad eum in caſtra reuerti credentes, quibus omnibus deletis ingens præda Chriſtianis acceſſerit. Scribitur etiam, noſtros arcem Tergouiſtienſem vi & armis expugnaſſe; præſidiarios ad vnum omnes trucidaſſe, præter Haſſan Baſſam, quem manu propria Sereniſsimus captũ ſaluauerit, pręter duos item alios Capitaneos Turcicos, quos illi Begos vocant. Ex ijſdem literis accepimus, Aquilam prægrandem ſupra caſtris Sereniſsimi aduolaſſe,

ſeque in tantum demiſiſſe, vt à Sereniſſimi militibus præteritis capta fuerit: Item quod Cometa iuſtæ magnitudinis & coruſcante ſydere, ſupra Sereniſſimi caſtra ad horam integram arſerit. Præterea quod Transfuga iſte Michael antehac Valaquiæ Vayvoda inter præſidiarios arcis occubuerit. Item quod Princeps nunc (dum videlicet ipſe tabellio inde abſcedebat) accingat, vt poſtero die ſummo diluculo cum omnibus copijs Sinanem inſequatur, quod Bocareſtam verſus cum exercitu mortuurus ſit, ſpe bona fultus, fore vt Sinanem illic comprehendat. Quæ ſane vobis ita conſtare volui; locorum diſtantia nimia, tabellionumque infrequentia literas noſtras ſæpe moratur. Datæ Claudiopoli 26. Anno 1595.

SECVNDA COPIA EPISTOLAE LATINÉ ſcriptæ, ex Claudiopoli, 2. Nouembris, Anno 1595.

HODIE manè curſor ex Valachia venit cum literis Sereniſs. Principis atque aliorum datis 26. Octobr. quo die ceperat ſua ſer: obſidere arcē Georgio præcipuam Sinani in Valachia is enim neque hic auſus fuit expectare, neq; in Bocareſto, in illa arce iam occupata à ſer: reperta 39. tormenta, in arce verò Tergouiſtienſi, ex qua ſereniſ: diſceſſerat 20. Octob. inſequens Sinanum 42. tormenta inventa, ſed propera fuga ita tumultuariè traijcere voluit Danubium vt ponte fracto, plurimi Turcæ fuerint ſubmerſi, ipſe vero miſer Sinanus (qui noſtros anno elapſo ex Inſula diſcedere fecerat) cum parte ſui exercitus coactus fuit in Inſula Danubij hærere, ex qua fugere cupiuiſſet, ſed fractus pons impedit, Noctu autem ab Inſula prædicta

dicta Naue fugitiuus Sinanus auſugit, Diſtat Inſula non lõge à Georgio obſeſſo à ſer: ſunt verè indicia & opera Dei ſereniſs: Princeps gerit ſe tam vigilanter & bene, vt omnes fateantur breuiſſimo tempore euaſiſſe in ſtrenuum militem & præclarum Imperatorem. Sit Deus benedictus, Actum Claudiopoli 2. Nouemb. Ann. 1595,

TERTIA COPIA EPISTOLAE LATINE ſcriptæ, ex literis patris Alfonſi 8. Nouem. Ann.. 1595. Albæ Iuliæ datis.

V. Epiſtola latine ſcripta.

HODIE venit curſor à Sereniſſimo Principe cum lætiſsimis literis, confectum enim fuit bellum feliciſſimè contra Sinanum, ante novem dies vi Sereniſſimus arcem Georgio cœpit in qua reperta ſunt, 39. tormenta, deleuit ad internectionem fere triginta milia Turcarum, qui cum Sinano non potuerunt tam celeriter fugere: potitus eſt tot impedimentis bellicis, vt ſicut ſua ſerenitas ſcribit, ſufficerent pro duobus regnis Tranſyluaniæ, captæ multę nanes onuſtæ, liberata etiam plurima mancipia, vnde Sereniſſimus triumphans iam eſt in reditu circa Bochoreſtum, Scribit Dominus Marſchalchus domum Ottomannicam nunquam maiorem cladem accepiſſe, Refert etiam curſor rumorem fuiſſe de Sinano victo deducto Conſtantinopolim, cras fient publicæ gratiarum actiones in noſtro Templo. Alter Exercitus ſereniſſimi cœpit deditione Vilagesvar non procul à Ienna.

Decimo

Pontifici ſcriptum. Decimo ſexto Nouembris Sereniſsimus Tranſyluaniæ Princeps tabellarium Romam ad Sanctiſsimum Dominum noſtrum cum literis ire iubet, quibus ordine ſeriem partæ victoriæ perſequitur, fidemq; ſimul Sanctiſſimo Patri facit, quod prima quaque occaſione aliquot Turcica vexilla principaliora, quæ Sinane ſuperato reportarit, ad eum miſſurus ſit.

Quas cum S. D.N. perlegiſſet, ingenti gaudio perfuſus, ſerenitati eius data fide promiſit, quod omnem operam opemque, quantum quidem in ſe eſſet, ſeu militibus ſiue pecunia opus haberet, ipſi præſtare velit: quin ſi neceſsitas ita poſtulet, quod omnes copias ſuas, quas in Vngaria reliquas haberet, in Tranſyluaniam traduci curaturus ſit; quodque ob partas tot victorias per omnia templa & Eccleſias Deo Opt. Max. hymnis & Lytanijs gratias agi edicto ſuo velit præcipere.

Viennam ſcriptum. Nec minus etiam Viennæ cum Sereniſsimus Archidux Auſtriæ Matthias per portam, quam vocant populariter Hypocauſticam equo ingreſſus eſſet, iamque prope S. Stephani Eccleſiam deſcendiſſet, tum in illo ipſo templo, tum alijs per totam vrbem ob partam hanc victoriam Litania cantata, & gratiarum actiones precesque ad Deum publicè è cathedris pro concione inſtitutæ & habitæ ſunt.

Pragam ſcriptum. Hæc itaque hactenus enarrata Hiſtoria de Victoria Sereniſsimi Principis & Domini, Domini Sigiſmundi, Principis Tranſyluaniæ, Valaquiæ & Moldauiæ, Comitis Siculorum &c. Pragam ſimiliter præſcripta eſt à Dn. Carolo Magno S. Cæſar. Maieſt. per Tranſyluaniam Oratore, qui fugam Sinanis occupata caſtra Sinanis ad Tergouiſtam, Tergouiſtæ oppugnationem, & quo modo Haſſan *Dn. Carolus Magnus Caſ. Maieſ. Orator.*

Baſſa

Baſſa vna cum duobus Begis alijs in arce illa à Principe captus fuerit, reliqui autē præſidiarij omnes trucidati, quod Bocareſta fugiente hoſte occupata, quodque vicus & munitio S. Georgij vi expugnata ſit, ac complures ibidem tū Turcæ, tùm Tartari occubuerint; quæ quidem omnia in conſpectu Sinanis volentis nolentis & Inſulæ illius, quæ in Danubio eſt, oram interim tenentis, ita geſta ſunt; adhæc quòd duos vicos & munitionem Rueſſing ſupra mōte ſitam, cum alijs compluribus ſimul locis Sereniſſimus occupauerit, luculenter in ſcriptis ſuis comprobauit, quæ ad viros illuſtres miſſa ſunt, ſub 21. & 28. Nouembris die.

Pragam item tabellarius à Sereniſſimo miſſus eſt, qui ad quartum Decembr. eò aduenit, & inter cætera retulit, quod occupato S. Georgio, ſexcenti Turcæ locupletiores vna cum vxoribus & liberis, omnibusque facultatib. præ timore & Tranſalpina fugam adornarint, quòd vbi Principi ſignificatum eſſet, quoſdam ſuorum miſit, qui locum in quem illi confugerant, occupantes, omnes trucidarunt, prædamque admodum opimam cum vxoribus & liberis eorum captis auexerunt. Chriſtianos autem vltra ſeptuaginta liberarunt.

Pragam perſcriptum.

6000. Turcæ cū facultatibus aufugiunt.

Iiſdem & literis Sereniſſimus perſcripſerat, ſe certiorem factum, quòd Sultanus paſſim per regna ſua ſeuerè & ſub pœna capitali omnibus ſuis ſubditis edixerit, vt ſub veris tempus parati ad expeditionem in Tranſyluaniam & vtranque Pannoniam ripenſem accingantur. Siquidem ipſemet Imperator Turcicus, adeò numeroſo milite, vt vel maris arenam æquet ad bellum hoc ire conſtituerit.

Nunciatur denuo item Sereniſſimo ex Conſtantinopoli, Sultanum, poſteaquam de damno per Tranſyluanum

num illato certior factus ſit; item tot ciuitates, munitiones, arces, vicos vt pote Tergouiſtam, Bocareſtam, Iennam, Villogeſvuarum, S. Georgium & Ruſſnig in mõte &c. amiſſa; plurima item Turcarum millia occubuiſſe, apparatum bellicum inſtructiſſimum, opes immenſas, armenta innumera & equos generoſiſſimos in Chriſtianorum poteſtatem veniſſe, in ſumma ipſum Sinanem tota ditione expulſum & exercitum eius ad internecionem deletum, obſtupuiſſe adeò cum omnibus qui ſimul cum eo erant, itaque ita intumuiſſe, vt nulla prorſus mora interiecta, præter prius edictum quod ſub pœna capitali propoſuerat, Conſtantinopoli ter ære belli ſignũ dari, & proclamari palàm juſſerit, vt ſeſe omni terra marique ad expeditionem parent, quod ipſe in perſona propria vere aduertante in Tranſyluanos & Chriſtianos tantis copijs, tantoque apparatu profecturus ſit, vt parem expeditionem domus Ottomannica nullam meminerit. Quæ ſingulæ ſereniſſimus Cæſareæ Maieſtati perſcribendo, apud eandem ſi hæc ita eueniant, quod Deus clementer tamen auertat, ſollicito inſtitit, vt ope & conſilio tum ipſi adeſſe velit. 8. Decemb. Anno 95.

Sultanus conſternatus ſuperos inferoſque ciet.

Quoniam itaque res eò deuolutæ ſunt, vt quod exitus probauit, & quiuis rerum bellicarum peritus facile aſſequitur, niſi ſingulari prouidentia Dei Heros hic & Dux belli fortiſſimus ſua virtute Martis onus hactenus ſuſtinuiſſet, immaniſſimus hoſtis Chriſtiani nominis noſtris nationibus, præcipue verò vtrique ripenſi Pannoniæ ipſique adeò Auſtriæ peſſima quæque dediſſet.

DEO itaque optimo maximo ex imis animi noſtri penetralibus gratias agamus pro immenſo beneficio, quo

Eccleſi-

Eccleſiam ſuam defenſam eſſe ſub hoc inuicto Duce clementiſſime voluit.

Acta Polonica

PER MOLDAVIAM GESTA, QVIBVS NIMIRVM MODIS DN. IOANNES de Zamoſcio, Generalis & magnus Cancellarius Poloniæ, collectis copijs in Podoliam & hinc in Moldauiam inopinatò irruptionem faciens, Vayvoda Tranſyluanico inde expulſo, alium in eius locum ſubſtituerit; quomodo etiam literis ad Sinanem ſcriptis confirmationem earum rerum ab eo petierit, & tributum vltrò illi obtulerit: nec non rebus paratis Moldauiam Turcis reſtituere promiſerit, tres item vias in Tranſyluaniam per nouum Vayvodam Turcis Tartarisque patefecerit.

EX Cracouia ſcribitur in hæc verba, ſparſos rumores de Cancellario magno regni Poloniæ, Generali noſtro hiſce literis confirmare placuit. Is autem proximo menſe in Podolia cum exercitu conſtitit, vt immanem tyrannidem Tartarorum vi reprimeret & inhiberet, quos præſentia eius à propoſito abſterruit, adeoque timidos reddidit, vt ne ſemel animos ſumerent, noſtrorum robur virtutemque militarem collatis ſignis experiundi.

Quare & ea vice, ſicuti & anno elapſo ſimiliter egerant, quòd omnis ſpes inuadendæ iſtius ditionis ipſis præciſa eſſet, retrocedentes patriam ſuam repetiuerunt, ſiquidem à Moſcovita ſibi metuebant, ne is ditionem

illorum, (vt cuius exercitus admodum numeroſus jam collectusGenerali noſtro conſtaret) populabundus graſſaretur. His actis ex tabellarijs Tranſalpinis Cancellarius intellexit Valaquios ſupplices ipſi fieri & opem protectionemque eius vnanimi conſenſu implorare.

Quæ occaſio tam oportune oblata, cùm quibuſdam ex noſtris acceptiſſima eſſet, Generalis noſter Dn. Cancellarius nulla interiecta mora, omnem exercitum in eos Valaquiæ fines traduxit, & primo eius menſis die flumen Neſtarum tranſiens, oras eas adijt. Is donec noſtri traijcerent curruum & carrorum multitudine fluminis impetũ remorari conatus, effecit vt unda interrupta adeò intumeſceret, vt ducenti currus ſubruti, plurimusque apparatus bellicus & alia immerſa ſimul perirent, hominibus nõ admodum periclitantibus.

Flumen curribus impeditũ ducentos eorũ ſubruit.

Kotzing à Polonis occupatũ.

Poſtero die ad Kotzingenſem munitionem omnibus neceſſarijs ſatis inſtructam aduentarunt, quam vbi Generalis noſter à Præfecto traditam accepiſſet, præſidiarios in ea, Comitem à BELTZAVV cum certo militum numero conſtituit.

Comes à Beltzavv.

Quinto eiuſdem menſis die noſtri Iaſinum Metropolim & ſedem regiam petentes, ab incolis honorificentiſſime excepti ſunt. Gubernator Tranſyluanicus biduo ante, inde cum copijs ſuis in ſuperiorem Valaquiam conceſſerat, vt cum Michaele eius ditione Vayvoda fœdus iniret. Sunt qui affirment duos illos Vayvodas triginta millia equitum in caſtris habuiſſe, pro Principe Tranſyluaniç verùm exitus aliter multò demonſtrauit.

Fames Conſtantinopoli.

Græci noſtri Orientales de tanta annonæ caritate in Conſtantinopoli nunciant, quantam annis quinquaginta ante non meminerint, quo malo interueniente, ſperamus.

mus nunc Sultanum vix numeroſum adeo exercitum, quanto alias quidem conſueuerit, in Chriſtianos expediturum.

Cancellarius nondum expectatur; Regia maieſtas diebus decem vix dum elapſis, mille quingentos equites & bis mille pedites omnes ſane bellicoſſimos, & optime inſtructos ipſi adduci fecit, quo fine id etiam num latet: Aſſeueratur tamen Polonos noſtros hac ipſa adhuc hyeme aliquid præclari aggreſſuros. Tabellarius, quem Vayvoda Valaquiæ ad Generalem noſtrum miſerat, ad Kalen. Nouemb. reuerſus eſt, is retulit triginta Tartarorum millia jam denuò in expeditione eſſe, qui ipſum remorentur. *15000. equites & 2000. pedites Poloni.*

Canzellarius Zatæ inter duo flumina caſtrametatus fertur. Eo in loco Moldauij, dum Sinan ad Tergouiſtam occuparetur, Pacis vexillum à Sinane pro recens ab ipſis electo Vayvoda petierunt, ſtipulati iuxtà tributum, tàm præteriti quàm anni præſentis. Sinan verò petitionem illorum reſpuens reſpondit, Imperatorem ſuum potentiſſimum eas regiones Tartaris iam tum conceſſiſſe. Nihilominus electus Vayvoda ille Tartaris ſaluum conductum ad Tranſyluaniam tribus in locis permiſit, nimirum I. per Comitatum Zakuliorum, II. viam quæ ad Albam Iuliam ducit, & III. per Valaquiam: Vnde optimus Tranſyluaniæ Princeps ſe turpiter à ſuis falſum & proditum tandem cognouit. *Tres aditus in Tranſyluaniā perfidè patefacti.*

EX CASTRIS POLONICIS IN MOLDAVIA SCRIBITVR 2. Dece. Anno 1595.

CHamus Tartarorum rogatu & quodammodo juſſu Sultani in Moldauiam venit cum exercitu ſuorum *Chamus Tartarorum.*

admodum copioſo,& aliquot ſimul millibus Turcarum, eo fine vt Sanzacum Amath Begum, conſtitueret Baſſam Moldauinæ. Is ergo Chamus dimidio miliari à caſtris Polonicis aberat, vbi tentoria figens cum ſuis conſtitit: nec multum tamen illic moratus, eodem die cum omnibus copijs inde mouens, ſuos directè noſtris oppoſuit, ita vt omnis eſſet in noſtrorum conſpectu, & caſtra eius palàm omnibus paterent.

Poloni interea leuibus prælijs Tartaros laceſſebant; frater Chami natu minimus adnimaduertens tot ſuorum in conſpectu ſuo occumbere, illico duo agmina ſuorum ſatis copioſa conuocans; tria tantum vexilla illis præfert, & ingenti clamore ſublato in Polonorum foſſas & aggeres impetum facit.

Noſtri vtpote qui à Sereniſſimo Tranſyluaniæ Principe miſſi, quique ab eodem huic ditioni præfecti fuerant, ita ſe parant, vt eueſtigiò aliquot equitum turmæ, & viri equeſtris ordinis primarii, cum ſelecto exercitu Tartaris obuiam procedentes, Polonis ſuppetias ferrent, ij autem aliter ſibi non perſuaſum habebant, quam Polonos à ſuis partibus ſtare.

Quare Tartaros repente & improuiſo adorti, repulſos in fugam verterunt octingenti, eorum partim cæſis, partim vulneratis: noſtrorum pauci admodum deſiderati; equi plurimi Tartarorum ſagittis confixi procubuerunt. Chamus itaque ſuorum ſtragem coràm aſpiciens, ad priora caſtra ſua reuerſus, ſuos eò collegit. Poſtero die iterum exercitum ſuum noſtris oppoſuit, id conſpicati Poloni maioribus tormentis vno ſimul impetu diſploſis in eos horrendum fulminarunt.

Dum

Dum hæc fierent Sanzacus Begus colloquium cum noſtris inſtituere, & cum nouo Moldauiæ Vayvoda, quē Poloni ea ditione inueſtire intendebant, præſens conferre cupiens, ceſſationem ab impugnatione tam acri rogauit. Habebat autem Generalis noſter expreſſum Regis & omnium Ordinum Poloniæ mandatum, ne vllo modo fœdus cum Turca initum violaret; quare Generalis noſter eò promptiùs Sanzaci Beglij petitioni acquieſcens, in id colloquium conſenſit; Vbi ergo conuentum eſſet in colloquium, Beglius inducias petit: Generalis conditiones quaſdam Sanzaco Beglio, & maxime quidem Chamo acceptandas proponit. Sanzacus.

CONDITIONES PACIS INTER CANCELLARIUM POLONIAE & Tartaros pactæ.

I.

Vt intra triduum Chamus cum omnibus copijs Moldauia excedat.

II.

Ne Chamus deinceps ſiue per Polonorum, ſiue Moldauorum fines in Chriſtianos militatum eat, neúe exercitum ſiue is copioſus ſiue exiguus fuerit in Chriſtianos poſthac per alios quoſcunque mittat.

III.

Vt Vayvoda quem ipſe Generalis in locum Regis ſui Moldauia inveſtiri fecerit, per omne tempus vitæ tranquillam & ſecuram poſſeſſionem & iuriſdictionem nemine prohibente in eam ditionem exerceat.

In hiſce

Diploma obligatorium Tartarorum. In hoſce articulos pariter omnes Chamus firmiter cōſenſit, idque Diplomate oblato, ratum habuit, inque maiorem rei geſtæ fidem, Chamus ipſemet vná cum Sanzaco Beglio, literas eas obligatorias ſubſcripſit, & manu propria, ſigillisque confirmauit.

Inter cætera vobis quoque conſtare volui, Chamum hiſce peractis ſtatim cum ſuis inde abſceſſiſſe, pro ut conuentum fuerat, & poſtero die ad Thaganiam munitionem perueniſſe, inde vlterius in Moldauiam perrexiſſe.

Petrus Geriffi frater Chami. Vnde Generalis nunc in metu verſatur, ne fotre Chamus fratrem ſuum Petrum Geriffi, qui Turcarum partes defendens munitionem Thagarienſem tenebat, inſtigaret, vt aliquot ſuorum copias in fines Turcicos Belgradum verſus mitteret, quæ Chriſtianis damno dato affligerent.

Dominus Schetſinus Herbrodus per Cancellarium regni noſtri ad Regem legatus, vt qui omnibus præſens adfuiſſet, teſtimonio ſuo coram rege confirmauit, Tartaros decimo nono Octobris cum noſtris in Valaquia prælium iniuiſſe, verùm vbi res ad arma venerit, noſtros tanta virtute pugnaſſe, vt Tartari ex prælio profugerint.

Zarſus Tartarorum. Poſtero die Tartarorum Zarſus legatum Thambski ad Cancellarium noſtrum miſit, qui ſciſcitaretur, vt quid exercitum tandem in Turcici regni finibus, quidue monſtri ipſe Cancellarius in animo aleret; ſiquidem ſibi Zarſo eam regionem à Sultano commiſſam, & in eum quoque finem ſe expeditionem ſuſcepiſſe, vt nimirum occupato eo regno affinem ſuum Carianum illo inueſtiret. Vbi Cācellarij reſponſum Zarſo minus placuiſſet, confeſtim decem millia Tartarorum ad Polonorum caſtra appropinquarunt, quos Poloni maioribus tormentis bis omni molimi-

molimine impetitos in fugam verterunt. Tertio die poſt Tartari denuò inducias petentes priores ipſi pacis conditiones propoſuerunt, ad quas tractandas, quaternas tantùm perſonas vtrinque decerni petiuerũt. Cancellario itaque conſentiente, Tartari juramentum præſtiterunt, digitis ſuper ſtricto acinace ſiue cimeterra impoſitis, quod videlicet poſthac nullo modo contra noſtros militatum ire vellent: factæ itaque induciæ ac menſes octo. *Iuramentum à Tartaris præſtitum.*

Equus Cancellarij per Genitzarum globo traiectus hero inſidente concidit. Aliquot noſtrorum ſagittis grauiter vulnerati. Tartarorum tria millia, inter quos aliquot primarij, occubuerunt. *Equus Cancellarii globo traiectus.* *3000. Tartarorum fuſi.*

Charion Tartarus amarè conqueſtus fuit, ſe inſtinctu Sanzagi Beglij in eam calamitatem adductum. Aiunt ſeptuaginta millia in Tartarorum caſtris militaſſe, qui cum vxoribus & liberis de finibus ſuis egreſſi, Moldauiam habitandam aduenerint, quorum aliqui in auro & argento ac ſerico Chriſtianis anno ſuperiore in Vngaria erepto ſatis ſplendide veſtiti erant. Tartari hinc Tornam verſus regreſſi ſunt. Cancellarius mille equitibus in Valaquia relictis, cum reliquis copijs, quæ ſepties mille viris conſtabant, in rebelles Vaſſanos coercendos, & proditorem Nallpo VVeicka comprehendendum abijt. *70000. Tartari præter vxores & liberos.* *Nallpo VVeicka.*

Ex Cracouia ſcribitur 14. Nouemb. 1565. in hæc verba: Hodie legati Valaquiorum Cracouiæ ad Regiam Polonorum Maieſtatem admiſſi ſunt; nec verò dum conſtat, quæ ſit eorum petitio.

Cancellarius ſiue Generalis noſter primariæ Nobilitatis virum cum literis ad nos miſit, qui Maieſtati regiæ coram diſceſſum Tartarorum, & inducias cum Chamo ad menſes octo pactas exponeret: is in Tartarorum exer-

T citu

citu octoginta millia fuiſſe affirmat, ſeque legatione functum ad Tartaros in caſtris illorum de pacis conditionibus tractaſſe; vbi præſens omnem exercitum eorum contemplatus fuerit, qui licet nudi fere, & pannis ſolum obſiti eſſe alias ſoleant, ea tamen vice ad decem millia ex ijs, holoſerico, ſerico villoſo & ſerico vulgari ſatis ſplendide veſtitos fuiſſe. Cancellarium item ante pacem conſtitutam vltra triginta millia eorum fudiſſe; ſiquidem eos ſtratagemate paulatim ad caſtra ſua pellexerit: fuiſſe etiam in caſtris Cancellarij tum non vltra octo millia, vnde ſe ſatis periculoſo tanto exercitui oppoſuerit, qui niſi pacificatio interueniſſet, Principi Tranſyluaniæ plurimùm negocij faceſſiſſent, id quod ea via nunc ſublatum eſt. Suſpicantur tamen alij Cancellarium non tam Tranſiluani, quàm ſua ipſius cauſa hanc expeditionem ſuſcepiſſe.

82000. Tartari.

16. Nouembr. 1595. Margareſta à Pontifice miſſus.

Pontifex Romanus ad 16. Nouemb. Nobilem virum Margareſtam ad regem Poloniç miſit, qui id apud Regem Poloniæ ageret, vt poſthac Cancellarius à Moldauia & Valaquia abſtineret, neque Tranſyluano moleſtus eſſe pergeret.

Adhæc vt Cancellarius Poloniæ & Cardinalis Bathorius rebus cum Tranſyluano amice compoſitis contra Turcam confœdarati fiant; maximè verò vt Cardinalis tam obliquam inuidiam in Tranſyluanum cōſanguineum ſuum, homine Chriſtiano præſertim Eccleſiaſtico & Prælato omninò indignam, jamque diu multumque exercitum tandem exueret, conſideraret rempublicā Chriſtianam, ageretque de commiſſis pœnitentiam, & apud Principem ore & animo ea deprecaretur (quemadmodum etiam IMPERATOR RODOLPHVS nòn minus-

minus apud Regem Poloniæ per Legatos ſimiliter egerit, vt Moldauia & Valaquia pacata neutiquam Rex concederet Tranſyluanum vlterius moleſtari) ediceret etiam ſeuerè Cardinali Bathorio vt citatus Romam recta ſe conferret.

Quoniam verò Cancellarius Moldauiæ prouinciam de iure ad Polonos pertinere omnino intendit (quod tamen aliter niſi vi belli ante multos annos factum cõſtat) quin ſub prætextu eiuſmodi iuriſdictionis rem eo promouet, vt tanquam omnia candidè & citra dolum ageret, Regi perſuaſerit, quo Moldauia occupata & Vayvoda per Tranſyluanũ nunc cõſtituto, expulſo, aliũ illi ſubſtitueret: hoc etiã addens, poſtquã Tranſyluanus Turcæ rebellis factus ſit, periculum eſſe ne omni ſua ditione tandem amiſſa, hoſtem tam potentem minime ſuſtineat; cònſultius eſſe ſua quidem opinione, vt data occaſione tam opportuna Moldauia vindicaretur, de Turcico Imperatore non eſſe quod metuat, ſed facile illud curaturum. In eo itaque propoſito Dominus Cancellarius confirmatus, de iure proprietario prouinciam eam ad Polonos pertinere contendit. *Calumnia Cancellarii.*

Nec moratus legatum ad Sinanem mittit, qui proteſtaretur apud eum, ne animo iniquiore ferat Moldauiam à Polono vindicari, aliumque Vayvodam priori ſubſtitui: quin vt ipſe Sinan nouum Vayvodam nomine Turcici Imperatoris confirmet; Moldauiam enim non minus quam antea, poſthac etiam ſub Sultano fore; Tributum præteriti, præſentis & futurorum annorum (Tranſyluaniæ quidem tributum quod vltra viginti quinque millia

T 2 Ioachi-

Ioachimicorum non excurreret, longe excedens.) annuatim prompte & citra controuerſiam ipſi Sultano pendi debere.

Sinan verò fortunæ adhuc velo ſecundiore vtens animoque turgens, nec vllo modo rebus ſuis contra Tranſyluanum diffidens, Cancellario reſpondet. Rem in eo minime verti, potentiſſimum Imperatorem ſuum per ſe ſufficere iis prouincijs defendendis, tametſi abſque Polonorum ope foret; adhæc eas ipſas Chamo Tartarorum in remunerationem officiorum hactenus in Vngaria & alijs locis ab eo præſtitorum conceſſas, jam tum à Sultano, & ob id Tartaros cum liberis & vxoribus ad aliquot millia adeſſe, qui prouincias eas occupent.

Ex quibus manifeſte patet, quàm parum fideliter Dn. Cancellarius in rebus Moldauiæ verſetur, & vtrum has prouincias Auſtriacis potius, aut Tranſyluano, ſiue Polono, quàm Turcæ & Tartaris concedere malit.

Quod ſi Turcæ ſuperiores fuiſſent (quod Chriſtus tamen clementer auertat) Tartarus vltro iam præſtò Moldauiam per immaniſſimam tyrannidem & cruenta latrocinia occupaſſet, peſſimeque cum Tranſyluano heroe incomparabili, cumq; ſubditis & regione eius actum fuiſſet; quod iam tum per recens à Cancellario confirmatum Vayvodam tẽtatum eſſe apparet, dum Tartaris Turcisque tres in Tranſyluaniam vias, vt pote per Zakuliam, ad Albam Iuliam & Valaquiam vltrò aperuerit.

Zakulij populus liber & ſui iuris ab antiquo, fortem ſanè & fidelem, ij admodũ operam Sereniſsimo Tranſyluaniæ Principi in hac expeditione nauarunt. Quin omnia officia & præſtantiſſima quæque honoraria Principi pro excuſſo Turcarum iugo ſponte detulerunt. Tantum equidem

quidem valet Charitas, Diſciplina & Concordia, quæ iuncta ſimul tum rem bellicam tùm alia quæque negocia ad optatum finem feliciter perducunt.

Quare poſteaquam Sereniſſimus tandem experientia edoctus manifeſte videt, quanto in diſcrimine res ipſa verſetur, quodque Moldauia præter ſui ipſius Serenitatem tres Dominos exteros propemodum nacta ſit, eam ob cauſam minime cunctandum ratus, nõ ita pridem vicies quinquies mille viris, fortiſſimis inſtructiſſimisque partim equitibus partim peditibus miſſis Vayvodæ à ſe conſtituto Moldauiæ præfecturam commiſit, qui procul dubio in negocio hoc ſtrenue & ſedulò procurando, ſeditionibusque per eos fines compeſcendis, componendis, quę tum vijs ad Tranſyluaniam apertis iterum intercludendis ſecurandisque niſi reliquum faciet. Deus autem & dies interim exitum earum rerum nos docebunt.


QVI RESIDES SOLIO TANTI MAHOMETE PARĒTIS,
ET SVBIECTA TIBI TOT TVA REGNA VIDES
SVLTAN MAHVMET II. CHAN.
NIL NATVRA TIBI DOTISVE BONIVE NIGAVIT
HOC DOLEO CHRITI QVOD TIBI LVMĒ ABEST

SVLTAN MAHOMET II. TVRCARVM IMPERATOR XV. Martij ingreſſus, Anno Chriſti 1595. AEtatis Anno XXIX.

ANNO 1595. Octauo Ianuarij die obiit Imperator Turcarum Amurathes III. Conſtantinopoli ex Calculo renum, ſive Nephritide, natus annos quadraginta octo, mortem eius ad dies aliquot cælauerunt, donec filius natu maximus Mahometes II. ex Aſia accerſitus ad imperium demortui patris capeſſendũ Conſtantinopolim veniret; conceperant nonnulli ſpem de fratre eius natu minimo, vt cuius nō tanta eſſet animo ferocia, in imperium admittendo, ſed fruſtrati concepta opinione, Mahometem ferre, coacti ſunt.

Is vt primum in ſolio patris ſedit, omnes cęteros fratres ſuos, quos numero novēdecim habebat, pro more Ottomānicæ Sanctionis recepto, laqueo è vivis ſuſtulit: Adhęc decem primarias vxores patris ſui in mare ſubmerſas ſuffocanit. Supremũ Camerariũ, qui obitũ Amurathis ad Mahometis uſq; adventũ clā habuerat, in recōpenſatioē accepti beneficij bis mille Cechinis donauit. Sultanę Matri ſuę annulũ precio decies mille coronatorum honorarij vicedcdit. Eandē matrem ſuam cum divite admodũ viatico ad terras quasdā remotiores incolendas amandavit.

Genetzari cæterique milites, vt primum de morte Amurathis acceperunt, ſeditioſi facti ingentibus turbis motis Conſtantinopolim diripuerunt; quin adeo ab ipſis ſæuitum eſt, ut maximum inde malum impenderet. Verũ tumultus ille per novum Sultanum tandem nec niſi maximo labore ſopitus quieuit, cuſtodia per omnes vrbis vicos probe curata.

Hinc

Hinc ſplendidum quoddam & magnificum tentorium more Turcis viſitato ante S. Sophiæ Templum expanſum ſtetit, in quod Sultanus pater demortuus, vna cum nouendecim filijs ſuis ſtrangulatis defertur. Pater ad dextram, filij ad ſiniſtram ordine poſiti omnibus palam conſpiciendi exponuntur, donec ſolennitas ſepulturæ fieret. Vbi funus iam deducebatur, Eques quidam cataphractus illud præcedit, ad vtrunque latus ſequuntur Genitzari; Hinc Sacerdotes luminaria manibus præferentes more ſuo nænias cantabant. Paulo poſt peractum funus, nouus Turcarũ Sultanus Mahometes II. pompa ſplendidiſſima, & equo magnificè vectus ad templum illud procedit, vbi is primùm palam omnibus conſpiciendus erat, fidem coram manifeſte faciens, ad futuram proxime æſtatem, non Viennam ſolùm Auſtriæ, ſed Romam etiam Italiæ, quin vniuerſum orbem Chriſtianum debellaturũ; ſimulque Conſtantinopoli, & per totum Turcicum Imperium edicit, vt quæcunque ad eam expeditionem neceſſaria ſint, ea omnes vbiuis locorum in promptu habeant: In ſumma tota Conſtantinopolis erat tum temporis occupatiſſima. Ex Theſauro Imperij eius tricies centena millia florenorum ad perſoluendos Genitzaros, reliquosque ſtipendiarios milites deprompta ſunt. Eodem tempore legatus Perſicus gratulaturus nomine Regis ſui nouo Turcarum Sultano Conſtantinopolim appulit.

COMMENTARIVS DE BELLO VNGARICO, IN QVO EA QVÆ AB ANNO 1591. IN PRAESENS VSQVE tempus inter arma per Vngariam acciderũt, breuiter quidẽ, ſed fide bona & perſpicue enarrantur.

ANNO 1591. menſe Iulio Sultanus Turcicꝰ claſſe inſtructa, quadraginta ſiue quinquaginta millibus tam peditum quam equitum Komaram quam minorem dicunt, quæq; munitiſſima ad fines Turcicos jacet, animo hoſtili appulit, eâquè tormentis expugnatâ occupatâq; quotquot in ea erant omnes à meterris fruſtulatim diſſecat. 1591. Iulius.

Marte itaque fauente vſus, ad Mentzent & Zache perrexit, quas ambas munitiones ui expugnatas ſimiliter capit; in incolas & præſidiarios eodem quo in Kamarienſes furore graſſatur, tametſi aliquoties inter ipſum & Imperatorem Romanorum antehac conuentum pactũ què foret, ne vllum tormentũ maius in Romani Imperij fines inueheret. Mentzent Zache.

Inde pergit ad Caniſam munitiſſimam in finibus ſitam. Dum in itinere eſſet rumore accepit proceres eius regni omnes in armis eſſe, jamque cum admodum copioſo exercitu quem tumultuarie collegiſſent, obuiam ipſi procedere: qui rumor cum confirmaretur, ſubitò ad ea loca, quæ prius occupârat concedit, omniaq; incendijs devaſtans, ne ſcilicet noſtri ijs recuperatis fruerentur, de- Caniſa.

1592. Iunius ſolata reddit, quibus peractis domum verſus iter remenſus finibus illis excedit.

VVihitſch Anno 1592. nono die Iunij Turcæ VVihitſch obſident, quod ex tribus locis tormentis & incurſionibus

800. Filij Chriſtianorum in Turciam miſſi. acriter oppugnantes occupant, & quinque millia Chriſtianorum fruſtulatim inibi concidunt. Liberos oppidanorum circiter octingentos ex Baſſæ Boſnenſis mandato in Turciam mittunt.

Qui reliqui erant ex ciuibus Sultano nomina ſua dare coacti ſunt. Capitanei, officiati, milites ſtipendiarij, inter quos viginti Germani erant accincti gladijs dimiſſi & per duo miliaria deducti, tandem per Vayvodam quadringentis equis Slun vſq; comitati abierunt.

Thomas Bally. Interea Thomas Bally nobilis & excubiarum magiſter ira incenſus primarium quendam Turcam Aga Beli, quod is concubinam eius de ſtupro ſollicitaſſet, & germanis alioquin moleſtiſſimus füiſſet, globo traijcit, vnde ſubitò tumultus coortus, & Turcæ in germanos irruentes eos ad vnum omnes proſtraverunt, vnus tamen Carpo Bagdey nomine, euaſit, qui Slun delatus, nec ipſe tamen, an aliqui ſuorum ſeruati ſint, quidue de nobili Bally porrò actum ſit, referre potuit.

Sondra. Octauo Iulij Turcarum ducenti apud Sondram quæ ſeptem milliaribus abeſt à Caſcha, in armis cõparuerunt, eo die cœlũ erat nubilum, proinde octoginta equi ad excubias noſtras & repagula ſiue cancellos populabundi obequitabant, eo fine vt noſtros ex arce ad ſuorum ſtationes pellicerent. Verum noſtri id ſubodorati intra concellos ſe continuerunt. Turcæ itaque recedentes ſex perſonas quæ in ipſos extra caſtrum inciderant, rapuerunt.

Poſte-

Poſtero die Præfectus in Calo, quater mille Turcis ad munitionem noſtram appropinquans plurimos vicos in vicinia deuaſtauit, incolæ tamen vt plurimum elapſi euaſerant, quòd aliquot maioribus tormentis diſploſis ex arce, tali nimirum ſigno dato, præmoniti ſaluti ſuæ cauiſſent. Armenta & equos complures abduxit. Dominus Præpoſitus VVari Præfectus Agrienſis in diſceſſu quidem eos, ſed absque fructu aliquo notabili perſecutus eſt.

Porro Dockai etiam XI. Iulij in illos ad duo mīliaria progreſſos impetum fecerunt, qui quod numero à Turcis vincerentur terga dare coacti ſunt: Eos Turcæ inſecuti Viginti Vngaros & Turcas ex iis proſtrauerunt, quoſdam ceperunt. Sunt qui dicant Præpoſitum VVari Præfectum Agrienſem cum mille centum militibus ad Horduam, quæ ſeſquimiliari infra Agriam eſt, hoſti ſuperueniſſe, & collatis ſignis ter ordines illius perrupiſſe. Vbi vero ad tormenta ventum eſſet, & quater mille hoſtium vno agmine inſtarent, ipſe fuga ſaluti conſulere coactus terga uertit. Vnde pedites fere omnes, quos ſeptingentos ducebat, ſtrati, & plęriq; Germani Vngariq; equites vel capti vel diſſecti ſunt. Præpoſitus fuſus.

Dehinc Turcæ in ſexcentos Chriſtianos ad mercatum euntes irruentes prope Agriam, ex ijs quadringentos proſtrauerunt, cæteri fuga elapſi ſunt. 600. Chriſtiani trucidati.

Ex eo tempore Turca Caniſam equitibus circundedit, & Siſecam, quæ inter Savum & Culpam interiacet, obſidione preſſit, quam ad dies complures viginti quatuor tormentis impugnat continue, ſed re infecta abſiſtere coactus, ternis ordinibus copias circa eandem diſponit. Præſidet illi munitioni quidam ſummi

Canonicus Præfectus Siſecæ. Templi Agronenſis Canonicus qui in defendenda ea omnem operam, omnem fidem atq; induſtriam animo præſentiſſimo impendit. Aſſon Baſſa Boſnenſis, vbi ab obſidione diſceſſiſſet, per literas illi grauiſſime comminatus munitionem ad præſcriptum tempus ſibi dedi poſtulauit, additis minacijs, ni tradat eam infeſto marte tādem expugnandam, ipſumquè Præfectum viuum excoriandum, tum cęteros omnes accerbiſſima morte perimendos. Præfectus acceptis literis legatum amicè excipit expiſcatur ex eo quæcunque ſecretiſſima habebat, vnde videlicet Baſſa ille omnes munitiones & Coenobij commoditates tàm accurate edoctus ſciret, & quod proditor earum rerum integro iam quinquennio pro Cœnobij & munitionis proditione à Turca pecunias accepiſſet (erat autem prouiſor Cœnobij iſtius, qui Turcæ illud prodiderat) Hinc Legato ſub benevolentiæ prætextu moram inijciens, tormenta, commeatum & quæcunque alia habebat ei oſtendit; ſed interim provide Legatum & proditorem capit, & vtrique manibus pedibusque conſtrictis, proditorem quidem in Sauo flumine ſubmergit, at Legatum per feneſtram præcipitatum in eodem flumine peſſum ire ſinit. Proditores puniti.

Legatus vbi æquo diutius expectaretur, Baſſa alio nuncio Siſecam miſſo conqueritur apud Abbatem & Præfectum de detento Legato ſuo, idque contumacem inſultationem interpretatur, quam ſuo tempore probè vlciſci velit.

Cui Abbas per nuncium reſpondet, ſe Legatum maturè expediuiſſe, qui quòd nondum ad caſtra redierit, eius moræ ſe cauſam ignorare: fidem ſimul nuncio facit, de deditione munitionis, vt quam à Turcarum violentia

defen-

defendere minime poſſet: Ipſe Baſſa modò viros aliquot autoritate præditos occupatum eam mittat, quandoquidem infame foret, ſi vilioris conditionis hominibus eam traderet. Baſſa hiſce auditis bene contentus, primarios ſuorum inſtructos eſſe jubet, qui citra ſanguinem, prout ſibi ille perſuaſerat, locum illum occupatum abirent. Interea Præfectus Cœnobij, ſe non minus egregie præparat, & tormentis ſuis quotquot erant globis, clauis, cathenisque belle inſtructis ea ſub ceſpite abſcondit, ne vlli paterent.

Stratagema egregium.

Vbi tertius iam dies ille à Præfecto conſtitutus illuxiſſet, ecce Turcę magnificè in equis aderant terni ordine inuecti, præcedebant, qui reliquis dignitate eminentiores erant, patebat ingreſſis porta maior, admittuntur quingenti; qui vbi intra muros conſtiterant, demittuntur crates ferratę, & diſploduntur tormenta ſimul vno impetu, vnde equites cum equis inopinatò per aerem diſperſi cateruatim euolarunt. Qui extra portam adhuc erant, vbi commilitonum ſuorum ſortem aſpexerunt, haud multum morati ocyus profugerunt ſtationes ſuas repetentes. Hoc tam inſigni ſtratagemate Abbas ille Cœnobium ſuum, quamplurimis Turcis ſimul è medio ſublatis defenſum dedit.

Viceſimo ſeptimo ſeptembris die, mane hora ſeptima certus quidam Turcarū numerus in ſummitate mōtium, Chriſtianorum caſtra exploraturus comparuit: noſtri proinde quinquaginta equites præmittunt, qui itinera perluſtrarent, at vbi neminem ex hoſtibus animaduerterent, ad caſtra reuerſi, genioque ſecuri indulgentes extra periculum ſe crediderunt.

Interea Turcarum centena millia per Chriſtianorum excubias perrumpentes improuiſo caſtra eorum obruunt.

Pedites noſtri arma contra ferẽtes, omnemque virtutem ſuam ſtrenuè exercentes ab hora diei pomeridianæ ſecunda ad medium ſeptimæ vſque veſpertinæ pugnabãt. Erant inter illos quorum ſinguli duodecim, tredecim & quatuordecim hoſtium proſtrauerant. Sutor quidã Hans Goller patria Græcienſis octodecim in eo conflicto ſuſtuliſſe dicitur. Turcarum proſtrata ſunt duodecim millia & quingenti, ſed quod numero vincerent tandem ſuperiores erant. Pedites noſtri plærique omnes miſerè diſſecti perierunt. Tanta fuit ſtrages vt ad talos vſque ſanguis profuſus inundaret. Capitanei plærique primo congreſſu hoſtem quidem, ſed minime pœnam tandem effugerũt. Præfectus generalis militiæ primò ſtatim diſparuit, nec quô ſe proripuiſſet vlli conſtitit. VVolferdorfers Capitaneus captus mulcta pecuniaria ſe redemit. Capitaneus Georgius Gleichsberger capite truncatus pœnam luit. Capitaneus Denck carceri incluſus. Prouiſor & ſignifer uterque publicè in fruſta à Turcis ſecti ſunt. Octoginta quatuor pedites ægrè fuga elapſi in Sacello quodam ſub defunctorum ſceletis latitarunt. Vxor prouiſoris vicina iam partui, globo traiecta et cimeterra per trãſuerſum in ventre grauiter ſauciata, vbi ſe iam in mortis articulo conſtitutam videret, tametſi infans in vtero ſubſultaret viuus, rogauit militem, qui gladio transfixam doloribus eam exoluit. Turcæ ergo Chriſtianorum caſtra diripientes ſexaginta quatuor millibus Ioachimicorum quæ quatriduo ante Linza pro ſtidenpijs miſſa erant, ſimul

mul cum varia ſupellectile & apparatu bellico omnigeno potiti ſunt. Liberos Chriſtianorum paſſim vitulorum inſtar ſuſpenderunt. Quatuordecim plauſtra truncatis Chriſtianorum capitibus cumulatè referta auexerunt. Sacellum vbi ſupra dicti Chriſtiani profugi latuerant, Turcæ quatuordecim thonnis pulueris defoſſis & triduo poſt ſuccenſis, ſubuerterunt.

Decimo octauo ſeptembris Turcæ omni cum apparatu bellico, variaq; ſupellectile in oppugnationibus vſitata ad munitionem Tocaienſem appropinquarunt, qui cum ſe parum profecturos viderent, equis trecentis Gomaram minorem petentes mœnia ciuitatis eius circumeunt, ſed ob paluſtria proximè adiacentia re infecta diſcedere coguntur, nihilominus cominati ſe ad hyemem vbi paludes glacie conſtitiſſent reuerſos, rem ſerió & omni cum feruore aggreſſuros. Tocaia.

Quæ dum fierent, Baſſa interea Boſnenſis ingenti exercitu collecto, facile quid monſtri aleret indicium præbebat.

Circa hæc eadem tempora Baſſa Budenſis Inſulam feraciſſimam Duropoliam ſiue Turopolim petens inter Culpam & Savum flumina caſtrametatur. Inde noctu ad viceſimum ſextum octobris ſatis robuſta manu in Inſulanos excurrens quadraginta pagos in vicinia cum duobus vicis Chioſe & Goiritz diripit, flammisque funditus omnia deuaſtat, rapit circiter bis mille Chriſtianos, abegit armenta quamplura, auehit plauſtra frumento onuſta circiter mille. Inſulæ Dominus Bean, ob inopiam hominum, & quod copias auxiliares adhuc expectaret vim vi repellere auſus non fuit, ſed impune Turcas & pro libitu graſſari permiſit. Duropolia Inſula direpta. Preda magna hoſtis potitur.

Ka.

Caſtrum S. Georgij occupatum.

Kl. Octobris, media nocte Turca octodecim ſignis peditum occupat caſtellum S. Georgij, quod inter S. Nicolaum & VVitſchavv interjacet; quotquot inerant cuiuſcunque ætatis occidit, Caſtellum funditus igne abolet, centum quinquaginta Chriſtianos inde abducit.

Comitia indicta.

Poſteaquam ergò Turcarum furor per Croatiam & vicina loca indies obtineret, ad hæc Baſſa Budenſis ingentem exercitum conſcriberet, nec pateret tamen, quid moliretur. Rodolphus II. Romanorum Imperator, vt qui iam coram videret, incolas tanto Turcarum furori reprimendo non ſufficere, Legatos ſuos ad Electores & cæteros S. R. Imperij ordines mittit, qui eos de ope & auxilio in hac neceſſitate ferendo ſalutarent.

Principes itaque cæterique Romani Imperij ordines, non tam honoris obſervantiæque ergô, qua Imperatori ſuo devincti ſunt, quàm vt ex pio affectu, Chriſtianis illis oppreſſis ope ſua & auxilio adeſſent volentes & prompte tam in auxiliaribus copiis mittendis quã in pecuniæ ſumma haud leui contribuenda conſenſerunt, reque cum cuiusque ditionis proceribus conſultata prudentiſſime liberatiſſimèquè de omnibus ſtatuerunt.

Cum verô omnis victoria contra hoſtem Eccleſiæ Chriſti, à ſolo numine pendeat, id Principes & ordines Chriſtianorum animis ſuis reputantes, maxime neceſſarium judicarunt, robur, viresque & victoriam ipſam contra immaniſſimum Turcam in vera pœnitentia & fide à Deo petere & expectare. Conſtituerunt itaque per Diœceſas ſuas, vt non tantum in meridie campanæ pulſarentur, quibus auditis ad preces fundandas homines admonerentur, ſed & ſelectiores quaſdam precationum formulas publicarunt, quas ſinguli vel priuatim vel publice in

Preces cõſtitutæ.

con-

conventibus contra hoſtem hunc Chriſtiano nomini tam infeſtum infenſumq; funderent.

ANNO M. D. XCIII.

IN Ianuario Baſſa Boſnenſis denuo ex novo ſuo Caſtello Petrina eruptionem faciens in Duropoliam utrunq; & caſtrũ & Vicum Beg Vochobinã, flammâ abſumpſit, adhæc præter immanem Tyrannidem quam exercuit quadringentos circiter Chriſtianos rapuit. Retulerunt nonnulli quod per Carolſtadianos & ipſe clade viciſſim affect⁹ ſit. Vochobina igne devaſtata.

Turcæ paucos ante dies Vicum Martanitz prope Agram improviſò adorti deripuerunt, ſeptuaginta Chriſtianis partim cæſis, partim captis. Turcarum autem ut aliqui retulerunt quingenti occubuerunt Martanitz direptum.

Nec ita pridem ter mille Turcæ in inſidiis prope Neuheuſel locati, eam munitionem dolo occupare aggreſſi à Dn. Palffio excepti & profligati ſunt, ut ſupra videre eſt pagina 69.

Poſteaquã Turcæ præſidiarii in Petrina ob profundã nivem commeatu intercluderẽtur, inedia adacti prędatum excurrunt, & Nobilis cujuſdã prædium, quod tribus inde milliaribus ad Culpam aberat armis adorti diripiunt, ſexaginta Chriſtianos ferro excindunt, prædam opimam referunt. Ceciderunt Turcarum quingenti vel circiter,

Hinc ſexcenti Turcæ, tàm pedites quàm equites in Chriſtianorum fines populabũdi excurrunt, ſed quod lacũ latiſſime patentẽ tranſire cogerentur, qui frigore tum cõſtiterat, jamq; ad dimidiũ miliare ſupra eum proceſſe-

rant, cum glacies ſubitò crepuit, & equos ſimul cum viris ad vnum omnes abſorſit.

Comitia Pragæ.

Nono Martij Rodolphus II. Romanorum Imperator Pragæ indictis Comitijs, ordinibus & ciuitatib⁹ eius Regni primò hæc fere proponit: Videlicet vt prius cōſtituta ſubſidia in triennium adhuc continuent: Secundò vt militum limitaneorum certum numerum contra Turcam haberent: Tertiò vt præter iam dictos aliud quoddam agmen quod hoſtem à Regno arceret, inſtructum alerent; ſimul cum omni apparatu bellico, alijsq; ad expeditionē neceſſarijs, quæ omnia & ſingula ſuis ſumptibus curarēt: præter vnius cuiusq; quotam, in ordinaria præſidia impendēdam & eam ipſam quidē duplicandam ad futuram proxime æſtatem. Adhæc vt pecuniæ, quas Imperatoria Maieſtas ob fœdus à Turcis ruptum interueniente Sponſione præcipuorum illius Regni Officiatorum, iam tum in magna ſumma ad defenſionem impendiſſet, Creditoribus refunderentur: Si etiam Imperatoria ſua Maieſtas in propria perſona & aperto Marte ſe hoſti opponere atque ſub dio caſtrametari cogerētur, vt bello tum ſubſidia ulteriora comparanda diſpicerent.

Haſſan Baſſa populatur fines Chriſtianorum.

Paulò ante breuiter expoſuimus quid Anno præterito 1592. Turcæ ad Cœnobiū Siſecam moliti fuerint, & quā dignis modis ibidem excepti in caſſes noſtrorum inciderint. At Haſſan Baſſa oportunitatem nactus hoc anno 1593. in Menſe Iulio, robuſto exercitu conſcripto, ſtatim in initio æſtatis paſſim in Turopoliam, Caraſtinitz & Samabriam excurrit, incendiis omnia deſolata reddēs. Sub initium Iunij ad Treutſchinum mouet, obſidione eā cingit, & vi tormētorum occupatā capit, diripit, adultos partim obtruncat partim captiuos ducit, & paucis intra hebdomadas octingentos Chriſtianos abducit ex ea vicinia.

Tandem ipſe & Beglius Petrinæ alijque ſeptem præ- terea Beglij & Genitzari primarij ex Nobilitate eius cum exercitu triginta militum, & millium, & tormentis maioribus vno quidem horrendæ magnitudinis, quod **die Katzianerin** vocant, alio item **die Quartier Schlangen/** & quatuor campeſtribus inſtructi ad munitionem Siſecã accedunt, ſibique eam dedi poſtulant. Vbi ergo Haſſanis Baſſæ petitionem præſidiarij iſti Germani breui reſponſo detrectaſſent, poſtero die Haſſan ſtatim tormenta cis Culpam prope turrim quam excubiarum vocant, intra aggeres adduci curat, & ſummo diluculo in munitionẽ Siſecam horrendũ intonat, turrim eam murali machina diſploſa deturbat, in quo ſimul armamentarij duo procubuerunt. Obſeſſos per decem dies continuos oppugnando in tantas anguſtias adigit, vt abſq; maturâ aliquâ ſubleuatione, quantum quidẽ humanis virib⁹ confidere poſſumus, minime ſe contra tantam vim & furorẽ hoſtis truculentiſſimi defendere vllo modo vlterius poſſent. Siſeca denuo obſeſſa

Quæ ſimulac Epiſcopus Agramenſis cum Dn. Ruperto de Egenberg Præfecto copiarum Cæſarianarum ad Agram relatu accepiſſet, ſtatim de ijsdem Dn. Andream de Auerſperg Præfectum in Carlnſtad certiorem fecit; Is confeſtim de exercitu ſuo aliquot copias equeſtres & pedeſtres pariter ſelegit, & collectis ſimul ſclopetariis & equitibus per diecœſes illas ordinarie diſpoſitis ad ſeptimum Iunij diẽ prope S. Ioannẽ Infra inſtavvitz prima vice pernoctauit. Poſtera die caſtra mouit, & prope Agram ſupra Sauum flumen juxta eductos aggeres copias ſuas cum Cæſarianis coniunxit.

Nono die ejuſdem Menſis inſtructa acie Schelinum verſus in Dni. Boani territorium venit cum exercitu. Interea Huſsari Petri Herdeli quique in albo chlamydati erant, in trecentos Turcas apud Kupſchiram prædatum excurrentes caſu incidunt, quorum centum partim capiunt, partim occidunt, cæteros in fugam vertunt; Inter captivos erat filius perfidi illius Crabatæ, qui Burggravium in Caſtvvitz vinctum Baſsæ tradiderat.

300. Turcæ fuſi.

Menſe Iunio Schelini commorantes Comitem de Serino operiebantur. Eodem die Baan Petrus Herdeli & Dns. Stephanus Graſvvein vom Creutz/& Iſtuan Tahi, una cum Huſgoggis ad eos Schelinum venit.

Vndecimo ejuſdem menſis die ad Græt uſq; appropinquant, ubi per noctem commorati Comitis Serini adventum uſq; dum operiebantur. Verum is præpeditus aliis negociis eos non eſt ſubſecutus.

Duodecimo die Iunii mane ſummo diluculo miles quidam ſtipendiarius Siſcenſis in caſtra venit, qui Domino Præfecto nunciaret, ſi unum præterea diem adventum ſuum traheret, nec obſeſſis in Siſeck eo ipſo adhuc die optitulaturus veniret, plane impoſſibile eſſe, ut ſe ab hoſtis violentia amplius defendant, ſed neceſsitate compulſis in hoſtium poteſtatem ipſis utiq; veniendū eſſe. Turrim verſus Culpam flumen plus quàm mediam tormentorū impulſibus jam deturbatam eſſe, & ad veſperam ejus diei hoſtem muros citato milite conſcenſurū, aggerem etiā proxime ad portam ab hoſte eductū, ita ut plano pede in arcē pergere poſsit. His auditis Dn. Andreas von Auerſperg/Ruprecht vō Eggenberg/Melchior vō Rädern/Boan Petr⁹ Herdeli, cęteri Præfecti Dalmatiæ & Croa-

&Croatię,in unũ conveniunt,conſulturi de reb' Siſcecn ſibus. Dn. Præfect' von Auerſberg conſuluit &inſtititq; ut obſeſsis utiq; ſubveniretur: in cujus ſententiam ibat Dns. von Radern/ cæteri omnes idipſum diſſuaſerũt, cõſiderantes vires Chriſtianorum perexiguas, ſi cum Turcis collatæ penſarentur, quin Dn. Præfecto ſimul perſuadere conantur, ut & ipſe ſententiam ſuam mutet.

Præfectus ubi puſillanimitatem illorum intellexit acriter commotus rem omnem coram omnibus omni cum affectu & ſeveritate tractat, timidisq; ſimul Crabatis illis animos ſermocinatione ſua addit, cohortans illos ut divino numine fulti hoſtem alacriter præſumerent, ipſamq; adeò victoriam à Deo fidentes expectarent, quo ſermone eos ita confirmavit, ut uno ore in prælium cõſentirent, jamq; hoſtem aperto Marte aggredi, atq; Siſecam ultrò propugnare pariter omnes arderent.

Quare eo ipſo die cum omnibus copiis, quæ ultra quatuor millia tamen militum nõ connebant, profectionem ſuſcipiunt & ad miliare unum germanicum à Siſeca conſtituti ordines ſuos diſponunt. Hoſtis ubi Chriſtianorum adventum intellexiſset, cum equitu per pontem recens extructum Culpã flumen trajiciens equites agmine bipartito diſtribuit, quorum alterũ agmen in inſidiis ponit, ita ut nuſquam appareret, ſperans ſe Chriſtianos hac arte in apertum campum pellectos in medio circumdaturum. Quare inſtructa acie ex viginti Turcacarum millibus, & fermè ad dimidium miliare, ſi eos qui in inſidiis erant adnumeras, extenſa, Chriſtianos à ſummo mane expectat prope Ottock cis Culpã & Oderã flummina. Crabatæ & Huſari agmen præceſserant, ut priores nimirum hoſtem adorirentur, qui ut primum ho-

ſtile robur & furorem eorum conſpexiſsent, rectâ converſi fugã jam meditabantur. Verum qui pim⁹ in agmine ordines ducebat, ſtatim eoſdem inhibens, ad ſiniſtram Carlſtadianos et Carnerianos Sclopetarios, ad dextram equos Carinthiorum, in medio militem Carneriorum & Carlnſtadianorum gregarium quem Capitaneus Dns. Paradiſius ducebat, adquos Sileſii equites & Cæſarianorum tria ſigna ex ſubſidio aderant, ſumma fortitudine in hoſtes movebat, eosq; tormentis continuis eò adigebat, ut Baſſa cũ omni exercitu ſuo terga dare cogeretur. Quẽ Chriſtiani cum omnibus copiis & odinib⁹ rite diſpoſitis inſecuti pontem quẽ fugientes illi aſſequi ſperabant prævertunt & occupant: quoſcunq; in plano conſequuntur ferro & globis perdunt, reliquos in Culpam & Oderam compellunt, ubi Equites ſimul cum equis miſerè interierunt: ne unus quidem ex illis captivitatis reſervatus: perierunt omnes præſenti morte, prædæ ceſſerunt bis mille equi & decem ſigna militaria.

Victoria Chriſtianorum memorabilis.

Dum hæc fierent, Turcæ interea in caſtris pulverem tormentarium, reliquumq; apparatũ bellicum igne abſumunt, & fuga ſimul tumultuaria conſulentes ſibi in pedes ſe ocyus conjiciunt. Noſtri Turcarum caſtris occupatis novem majora tormẽta incorrupta adhuc invenerunt, inter quæ & illud erat quod die Katzianerin vocant, Chriſtianis ereptum annis ſuperioribus, quod ſane caſtella limitanea quotquot eorum erant hactenus admodum horruerant; erat etiam aliud die Krupperin/ & duo muralia, unum die Quardirſchlang / quatuor campeſtria, globi aliquoties centeni, quorum majores quadraginta, quadaginta quatuor & quadraginta quinq; pondô erant: aderat Baſsæ tentorium ſatis magnificum, &

duo-

duodecim navigia magnaque omnia Siſecam advecta ſunt.

Sunt qui putent nullâ parentum noſtrorum memoriâ tantum Turcarum robur tantum apparatum bellicum, tot Viros primariæ Nobilitatis Turcicæ tàm proceræ & erectæ ſtaturæ homines & germano more tàm egregiè & magnificè armatos, atq; hic ipſe exercitus Turcicus fuerit in Dalmatiæ Croatiæq; finibus conſpectos fuiſse. Galeæ, arma, loricæ, cimeterræ, pugiones &c. omnia deaurata, ſive auro argentoq; redimita. Ceciderunt Turcarum octodecim millia, nec enim ex omni illo vicies milleno Turcarum numero, qui ſub dio acie ſteterat, ultra duo millia per pontem in caſtra ſua evaſerunt, ſiquidem pleriq; vel in aqua vel in plano interierunt, adeo ut non tantum per agros cadavera continua jacerent. ſed & Culpa flumen cadaveribus humanis & Caballinis ex Savo & Odera defluentibus confertim manarit, quin ipſa flumina aliquatenus inde intumuerint. Ex Turcis ceciderunt præter milites ſtipendiarios, & eos qui minores magiſtratus in bello obierant quam plures etiam Baſsæ, Beglii, Sanzacia &c. qui inter cadavera in agris & in flumine demum agniti ſunt.

18000. Turcarum fuſi.

Hassan Baſſa.

Erat inter illos Haſsan Baſsa Boſnenſis qui infra pontem ex flumine extractus veſtibus precioſiſsimis & margaritis atq; gemmis Splendidiſsimè adhuc indutus prædam egregie augebat; erat item Mehemet Beglius de Hertzoguina filius Achmeti Vezirbaſſæ ad portam: SAFFER BEGLIVS de Tzernich frater Baſsæ in Boſna: MEMI BEGLIVS de Zuornich: HARMATAN Beglius de Skendria; Curtius Beglius de Vazittã:

Ali

Ali Beglius de VVakertz: Hruſtan Beglius de Petrina: Ybrain Beglius de Licha: Veli Kovel Beglius de Poltzega: Operti Beglius de Aleuno: N. Beglius de Orechovitza: N. auß der Gravé: N. qui anno proxime elapſo Stirios ſeduxerat: item Groſch de Klagenfurt; qui aulæ magiſtri & conſiliarii Baſſæ fuerant. In ſumma ipſe flos & germen Nobilitatis Turcicæ in eo conflictu periit: Solus Murathes Ma de Crup ſuperſtes evaſiſſe creditur. Ex Chriſtianis periit Dux Archibuſiorum Carlſtadianus cum aliis duobus equitibus, nec ultra octo vel decẽ Huſari ceciderũt. Ex peditatu nemo aperto Marte procubuit: triginta aut quadraginta Huſgoggi & Cæſariani, dũ hoſtẽ ad pontem præverterent partim in flumen delapſi, partem inter confertiſsimos, hinc inde ruentes hoſtes eliſi & cõculcati expirarunt. Victoriâ eâ tàm memorabili parta, omnis exercitus ter Cœnobium Siſecenſe circumiens, & quaq; vice in genua ſupplex procumbens, Deo opt. max. pro partâ victoriâ gratias devote egit, machiniſq; diſploſis ovationem teſtatus mutuò ſibi congratulatus fuit. Quæ cum præſidiariis Turcicis in Haraſtovvitz ſingula relata eſſent, præ timore munitionem eam deſerentes aufugerunt, cæteros etiam qui in vicinia Caſtella defendebant panicus terror omnes repente inuaſit.

Murathes Ma de Crup.

Dns. de Eckenberg ſtatim poſt Victoriam Siſecenſem exiguis quibuſdam copiis PETRINAM proficiſcitur, eamq; equitatu circuit, & ſibi dedi poſtulat. At ubi præſidiarii obſidionem detrectarent, neq; noſtri propter continentes pluvias tormenta per itinera expedire tempeſtivius poſſent, quin & commeatus penuria forſan premerentur, ab oppugnatione ad tempus abſtinendum fuit. Tandem vicies mille hominum exercitum ad Petrinam

Petrina obſeſſa.

nam admouentes,& per dies quinq; continuos tormentis maioribus in munitionem fulminantes, re tamen vt plurimùm infectâ abſcedere coacti ſunt. Hoſtes autem nihilo ſecius etiam in noſtros globis impluentes, nihil magnopere damni dederunt.

Noſtri cum pridie per pontem recens Culpæ flumini inſtratum, tranſmitterēt, eo fine, vt Turcas in caſtris ſuis improuiſò obruerent, incidit in ipſos Turca quidam, qui vitam ſuam paciſcebatur, quòd Beglerbegius ex Græcia amplius vno miliari inde non abeſſet, ſed iam in itinere ſit cum exercitu, vt Baſſam Petrinæ egregio aliquo ſubſidio ſubleuaret, noſtros autem cum omnibus copiis ſimul adoriretur. Vnde noſtri in caſtra ſua receſſerunt & foſſas eductosq; aggeres ſuos prouidè curabant: præſertim quod viderent Comitem Serin. Dn. de Auerſperg, & Præfectum generalem Dalmatiæ caſtella ſua ad fines eos ſita repetiuiſſe, hoſtem obſeruaturos ne improuiſò forſan illos inuaderet.

NOVVM BELLVM PANNONIÆ INDICTVM, ANNO M.D.XCIII. 7. Auguſti.

SVLTANVS Turcicus ſtrage ſuorum ad Siſcam intellecta, tam acceptum damnū quàm infamiam inde natam acriter doluit, proinde furore percitus & planè Chriſtianos vlciſci ſtatuens nouum bellum contra Romanorū Imperatorem ad 7. Auguſti diem tùm Conſtantinopoli tùm Budæ proclamari facit: mandat Mechmeto Baſſæ

Temeſvuarienſi, & Beglerbego ex Græcia ut ipſi hoc bellũ loco ſui ipſius Sultani gerendũ ſuſcipiant: Budenſi verò Baſsæ cęterisq; imperatorib. ut caſtra & munitiones in finibus imperii ſui preſidio muniant, & conſcriptũ exercitum juncti per ordines & per caſtra adminiſtrent, tum Sinani Baſsæ, qui generalis ipſorum & militiæ iſtius Præfectus futurus ſit, & pro ſe Sultano per Vngariam bellum illud confecturus, morem gerant & debitam obedientiam præſtent.

Sinan Baſſa venit in Vngariam. Beglerbeglius ex Græcia ducit exercitum in Croatia.

Ad eum modum bellum Turcicum contra Chriſtianos natum eſt, & Sinan Baſsa cum exercitu in Vngariam ad Budam venit, Beglerbegus ex Græcia cum copiis duodecies mille militum in Croatiam abiit, non ſolùm ut Petrinam à Chriſtianis arctiſsimè obſeſsam cũ omnibus ſuis copiis ſublevaret, ſed & ut Siſecam denuo obſideret.

Siſeca expugnata & amiſsa 24. Auguſti.

Eam itaq; munitionem brevi poſt continuo tormentorum fulmine inſenſiſsime impugnans, in extremas anguſtias adigit, & tametſi obſeſsi omni virtute & robore pro vita ſua acerrime dimicarent, Turcæ tandem ſuperiores tamen facti, Siſecam illam viceſimo quarto Auguſti die Anno 1593. vi expugnarunt; Præſidiarios inter quos ducenti erant germani milites, immaniſsime trucidatos & in fruſta conciſos in Culpam flumẽ ſparſerunt: cætera omnia direpta & devaſtata.

Inde mores Savum flumen trajicit, Agram uſq; excurrit, obvia quæq; ferro & igne devaſtat, captos quinquies mille Chriſtianos in ſervitutem adigit, & quocunq; pedem fert, omnia miſerè deſolata reddit.

Is ergò quod in ſubitaneo adeò terrore neminem facile arma contrà ferre videret, animos inſolenter tollens, Carol-

Carolſtadium jam præſumit, quin invictiſs. Rom. Imp. Rudolpho II. per fecialem bellum, rupto fœdere, aperte indicit, ne ipſe porrò tributum recepturum, ſed in Chriſtianos ferro & igne quibuſcunq; modis poſsit graſsaturum profitetur.

Bellum Imperatori Rom. indictum per Beglerbegũ ex Cracia.

In Septembri Petrus Huſsarus, qui Puppæ commorabatur, juſsu Comitis Hardeccenſis, rationes ſuas contra Magiſtrum ærarii Sultani Turcici, qui & ipſe ſub ſe quatuor quinquiesve millia Turcarum habebat, audacter diſponit, & cum ducentis equis eum dum ſtipendia militibus ſuis ſolveret invadens, manus intrepide cum eo cõſerit, cadunt Turcarum plurimi, ipſe Petrus Magiſtri ærarii caput, & vexillum primipili aufert; decem Turcæ capti Pragam abrepti.

Petrus Huſſarus Ærarii Magiſtri caput aufert.

Cum ducẽtis equis, adoritur 5000. Turcas.

Chriſtiani ſexies ſeptiesve ad Chetzmetz velitationibus cum Turcis congreſsi proſtraverunt ſummum ſigniferorum Sultani, una cum Baſsâ Kizaia, potiti equis generoſis, aliisq; multis precioſis ex auro & argento.

Vexilifer Sultani & Baſsa occiſus.

SINAN BASSA.

XXII Septembris Sinan Baſsa cum copioſiſsimo exercitu Vsprinum, quod viginti quinq; miliaribus infra Vicennam abeſt, & ab anno uſq; milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto in Criſtianorum poteſtate fuit, obſidione cingit, oppugnat omni vi, & 27. Septembris captum occupat.

Veſprinum à Turca expugnatum.

Chriſtiani ut primum viderunt ſe munitionem eam contra Turcarum violentiã defendere nõ poſse, pulverẽ tormentariũ, adjecto igne defoderunt, & duab⁹ horis ante quã hoſtis ea potiretur, clàm per anguſtã quandã portã

 abierunt,

abierunt, qui pleriq; tamen à Turcis correpti perierunt. Præfectus Ferdinandus Samaria qui jam aliquoties aliquot caſtella ſtrenue defenderat, cum ducentis Chriſtianis vivus in manus Turcarum venit. Pulvis defoſsus in primo ſtatim tumultu exardens Turcas plurimos ipſamque munitionem paſſim admodum læſit. Turcæ nihilominus arcem duobus Begliis muniendam defendēdamque committunt.

Ferdinandus Samaria & 200. Chriſtiani capti.

Palotta capta.

Vltimo Septembris ad Palottam moventes, dedi ſibi poſtulantes accerrime tormētis in eā detonant. Dn. Ferdinandus de Samaria & ducenti Chriſtiani cum eo prius Veſprini capti populares ſuos in Pallotta impugnare vi compulſi ſunt. Munitioni præerat Petrus Ornandi, natione Vngarus & copiarum Dux, is primam incurſionem ſtrenue ſane ſuſtinet, at ubi ſummū propugnaculum impetu globorum deturbatum vidiſſet, ſpem omnem defendendæ munitionis abjecit, tametſi quæ inferius erant defenſioni parata, infracta conſiſterent, & uno excepto, qui in ſummo propugnaculo everſo perierat, reliqui omnes ſalvi adhuc eſſent & colloquio cū hoſte inſtituto, ſpondet ſe munitionem traditurum & ſe ſuosq; in Turcæ poteſtatem venturum, quatenus ſibi ſuiſq; ſalvis abſcedere liceret. Quod licet Sinan jurata fide ſanxiſſet neutiquam tamen pacta præſtitit, ſed munitione per deditionem acceptâ, dimiſit quidem præſidiarios, dimiſſos autem perfide omnes invadit & trucidat, ſolo Capitaneo cum duobus aliis excepto, quos captivos ſimul duxit. Simili plane tyrannide totum lacum Balathonem Turca immaniſsimus infeſto Marte ſubjugavit.

X. Octo

X. Octobris. die Chriſtiani in Vngaria denuo cum Turca acri prælio concurrunt. Melchior von Rödern/ natione Sileſius cum equis mille trecentis, quos ſub ſe habebat, fundit ſex millia Turcarum, liberat quam plurimos Chriſtianos & tria milla puerorum, quos Sinan in Turciam mittere captivos voluerat. Conflictus in Vngaria. Melchior von Rödern/ fūdit 6000 Turcarum.

A decimo tertio Novembris ad viceſimum quartum uſq; ejuſdem menſis diem Imperator noſter Rudolphus II. Pragæ in arce regia Conventum generalem Ordinum regni Bohemici celebrat. Poſteaquam ergo tàm ſcripto, quam oratione Ordinibus expoſuiſset, quibus modis Turca in Croatiam & vicina loca impreſſionem fecerit, ut multa millia & utriuſque ſexus Chriſtios in æternam ſervitutem abduxerit, præcipuas item munitiones, caſtella & limitum propugnacula, inter quæ Siſeca ipſa, vi & armis occupata ſibi acquiſiverit, quodq; niſi à propoſito arceatur, peiora jam in animo verſet, petijt ut proximo conventu generali, ſeptimo videlicet Martii acto, decreta ſubſidia contra Turcam conferre & præſtare velint. Conventus Pragæ.

XXI. Octobris die quę erat Dominica Ferdinandus Comes Hardeccenſis cum omnib⁹ copiis ſuis caſtra movet. Circa tertiam vel quartam ejus diei horam, Albam regalem uſq;, nemine id obſervante, (erant enim nebulæ denſæ eo die) adventat. Qui præceſserant primo ſtatim occurſu, in armentorum greges, quos paſtum egerant, incidentes, retrò ea ad exercitum inſequentem vertunt. Interea tercenteni circiter Turcæ in armis, ad hortos extra urbem conſpiciuntur, eo fortaſſis animo, ut armenta antehac per Chriſtianos abacto, recuperarent, (ſiquidē de noſtrorum expeditione illis ni- Hardeccēſis Albam Regalem oppugnat.

hil quicquã conſtabat) Quare Generoſus Comes Ferdinandus Hardeccenſis, cum Dn. Brecke, Brunone & Gallo & paucis quibuſdam qui aderant in eos fertur, quos ad urbis pontẽ uſq; inſequitur. Hinc Huſsaro Petro & ſexcentis illis, quos ducebat ille, in mandatis dat, ut quamprimũ cum militibus Vngaris in ſuburbium ubi Beglius habitabat, impetũ faceret. Hermanno Georgio imperat ut is ad alteram portam (quam VVelſchli vocãt) Martis aleam oppugnando adiret; ipſe autem Comes cum exercitu eodẽ in loco conſtitit, ne quâ forte manus à tergo ſe tollat, quę improviſo Huſsarum adoriretur, utq; hoſtis hinc inde ſe defendere neceſse haberet.

Huſsarus Petrus Suburbium Albæ Regalis expugnat.

XXII. Octob. ad meridẽ oppugnationem auſpicatur Hardeccenſis, uti verò videret, abſq; obſidione diuturniore, cui minimè paratus tum erat, nihil laude dignum confieri poſse, re cum Capitaneis conſultata inde caſtra movet. Interea nunciatur Huſsarum Petrum imperatis ſatis feciſse & ſuburbium injunctum expugnaſse, petebantur etiam duo tormenta magna, quæ Huſsaro adducerentur, ſpem bonam eſse, rem feliciter ceſsuram, qnod propoſitum licet Comes Ferdinandus improbaret, precibus tamen Nobiliũ cedens, movet ex eo loco, quo Huſsarus in urbem invaſerat, & concedit duas illas petitas machinas: injungit autem Huſsaro, ut ſi ad mediam eam noctem uſq; aliquid præſtare poſset, id tentaret, ſin minus ut tormenta miſsa reſtituere direpto & incenſo ſuburbio excederet: is veró diutius æquo morat⁹ donec illuxiſset, ægre nec niſi multo cum labore tormenta ſecũ reducere poteſt: tria autem minora quæ ad Dm. Palfium ſpectabant, ob nimiam globorum nubem in ipſum inundantem relinquere cogitur, ipſe cum paucis ſuorum

non

non ad foſsas urbis, quâ oppidum invaſerat, ſed per portam Palatoram excedit.

XXIII. Octobris die, quæ Martis erat, Comes paulatim inde movens, ad medium miliare ab Albâ Iuliâ caſtrametatur, quo in loco Huſsarus etiam ad Comitem revertitur, cum paucis militibus ſuis, cæteri enim plæriq; defatigati per compita jacebant.

XXIIII. Octobris, dum exercitus jam itineri expeditus eſset, nunciatur, hoſtem in propinquo adeſſe, & egregiè inſtructum apparere: Comes itaq; Ferdinandus caſtra egreditur ſpectatum, quid hoſtis ferat, unde & quo tendat, & quot copias ſecum adducat, primitùs quidem vix centum ducenti aut trecenti credebantur, & ſolus Beglius Albenſis cum ſuis adeſse putabatur, ſed paulatim numerum eorum augeri & multiplicari animadverſum. Quare Comes exercitum incedentem jam conſiſtere, imperat, & cum Capitaneis conſultat num hoſti obviam procedendum ſit nec ne.

Cum itaq; omnes pariter præcipue verò Dominus Palfius pugnare arderent, ipſe Comes Ordines inſtruit & more bellico ſuum cuiq; locum aſsignat planitie eâ partitâ: ita ut Dominus Palfius cũ ſuis ad ſiniſtram. Comes ipſe juxta Comitem Scrinum, Nadaſtium & Budianum inter quos ſimul Capitaneus Sendelitz & Marcus Beck adfuerunt, partes ſuas defenderet. Nec verò minus oportuno tempore de prærogativâ, quis nimirum prior in hoſtem iret, contenderẽt, primas eas partes primamq; coitionem Dn. Palfio ultrò detulerunt.

Dum hæc fierent, alterum Turcarum cornu quod ad dextrum erat, propius ad noſtros accedens reliquos nonnihil præverterat, eo fortaſsis conſilio ut noſtrorum

ordines

ordines à tergò circumventos adoriretur. Quare Hardeccenſis Petro Hußaro edicit, ut Hußaris Palfianis aſſociatis, & iis qui colore rubro, quiq; fulvo chlamydati erant, unâ cum ducentis Sclopetariis Germanis, hoſtium illi cornu antegreſſo occurreret: ipſe inſtructâ acie pene incedit. Hoſtis ordines ſuos in latum explicaverat, unde Comes neceſsum habebat ut ſimili formâ aciem ſuam diſtribueret. Agmine itaq; in latum diducto in hoſtem movet, jamq; tàm prope inter ſe aberant, ut utrinque tormentis utrinque mutuò proſtarent. Hoſtes campeſtres ſuas machinas, quas numero triginta duas ſecum vehebat maturius diſploſas & ſupra Chriſtianorum cohortes evolantes, abſq; aliquo notabili noſtrorum damno emittit.

Milites Germani & tormenta propter teſqua & ſentes ægrè ſubſequebantur: at militæ Præfectus Dn. Gallus nihilominus tamquam ſtrenuus & virtutis amans opportune & in tempore juſſo loco adfuit, parteſq; ſuas egregie defendit. Ad eum itaq; modum acie inſtructâ alacriter in hoſtem, ſimul cū omnib⁹ copiis, nec ullis aliis levis armaturæ præmiſsis, divino implorato nomine procedunt, eumq; primo ſtatim congreſſu profligunt. Quanquam non equites tantum, ſed et ipſi Genizari pedites ſubinde inter fugiendum converſi acerrime dimicarent. Equi & viri ſimul noſtrorum plurimi vulnerati ſunt.

Baſsæ tamen Budenſis exercitus ſingulari prouidentia Dei, & ope Vngarorum atque adeò Germanorum fortitudine ad unum uſq; internecione deletus. Quantum ex captivorum confeſsionibus habere potuimus, fuerunt in caſtris Turcarum viginti millia, inter quos quinque millia peditum ut plurimum ex Genizaris, pleriq;

omnes

omnes occubuerunt. Summa occiſorum & qui in paluſtribus perierunt, uti Dn. Nadaſtius & alii qui jacentes eos aſpexerunt autumant fertur octo millium. Pauci capta plæriq; ferro & globis ſublati; locus in quo pugnabatur, ad ſeſquimiliare per Ordines patebat paſsim cadaveribus conſtratus. Strages Turcarũ 8000. ſub Hardecenſe & Palfio.

Baſsa Albenſis cum duodecim Begliis præſens in acie adfuit, Chriſtianorum exercitus non ultra octo millia habuit in conflictu: quod plæriq; pedites jam ante diſceſsiſſent, & bona pars militum in direptione Albæ diſperſa eſset, pars etiam ad caſtra jam præceſsiſſet. Comes Hardeccenſis in crure vulnus accepit. Comes Serinus equo lapſante cecidit. Cimeterra, quam Baſsa geſserat, confracta inter cadavera reperta Comiti Ferdinando oblata fuit. Cæteri ſimiliter complura Turcarum vexilla, magnifice deauratas Cimeterras & pugiones reportarũt.

IX. Novembris die Chriſtophorus à Teuffenbach Generalis militiæ Præfectus cum copiis ſuis ad decies quater millia militum numeratis à Caſchâ, quæ in ſuperiore Vngaria eſt, movet & biduo poſt ad Sabathgam, quam Turcæ occupabant, caſtra ſua locat, eam tribus ex locis tormentis & incurſionibus oppugnat, poſteroq; ſtatim die, quæ XII. erat Novembris vi capit; Turcas præſidiarios ducẽtos quinquaginta ſimul occidit, Sexaginta ruſticos, quos Turcæ ex Rima & Samboth oppidis acciverant, ut ædificandæ munitioni operam ſuam impenderent, vivos reſervat, quos deinceps ad Villecam aggeribus educendis aliisq; operibus adhibuit. Exiſtimant non eſse aliud caſtrum firmius nec munitam magis per totam eam viciniam, eſt enim præaltis ſæpius & cancellis prætextis, propugnaculis egregiis, foſsis duabus aquaticis & vallo muni- Dn. à Teuſenbach Sabathgam expugnat. Sabathgæ deſcriptio.

munitiſsimo circundatum: ex eo Chriſtianis plurimum ſemper damni illatum fuit. At munitione eâ nunc expugnatâ patet noſtris per totam eam regionem ſalvus & liber conductus.

Villeca obſeſsa,

Hinc promovit & decimo quinto Novembris die ad potentiſsimam Vrbem & munitionem Villecam caſtrametatur, eã Turca nunc triennium poſsedit. Poſtero die omni cum fervore eam oppugnare incipit. Quod cum Beglius Villacenſis videret, ipſe cum aliquot ſuorum militum, clam ab altera parte arce excedit, exploratum quas copias, quod robur Chriſtiani adducerent, & cũ vicinis Turcis ſimul conſultatum, quid contra Chriſtianos tentantum ſit. Baſsa Temeſvvarienſis & uterq; Beglius Iulæ videlicet & Haduuani, Item **Schanßhag von Schmir** / Villecam defenſuri colligebant tumultuarie aliquot mille viros ex præſidiis circùm in caſtris locatis.

Baſsa quidem Temeſvvarienſis, rogabat Octingentos Genizatos, quos Sinan Vezir Baſsa Budæ & Albæ regali reliquerat, ut ad defendendam Villecam adeſsent, Verum illi id recuſantes expreſse reſponderunt, ſocios ſuos temere & petulanter in exitium ad ductos paulo prius, idem ſibi ipſis nunc metuendum. Quare Armenii quos modo dictus Vezir Baſſa cum filio ſuo, & Baſsa Ferrato poſt ſe reliquerat, ad expeditionem eam ſuſcipiendam coacti ſunt.

Buda præterea, Alba regalis, Schambotha paucos admodum nec ultra mille quingentos viros propugnationi huic Villacenſi in ſubſidium mittunt. Beglius ſtrigonienſis ſubſidia non exigua ſublevandis Villacenſis obſeſsis quidem mittenda conſtituerat, verum dum ea in itinere eſsent exploratoribus edoctus Dm. à Teuffenbach

bach nō minus de Strigonio etiam obſidendo cogitare; adhæc Vayvodam Tranſylvaniæ cum aliquot millibus ſuorum Chriſtianis opem laturum fines regni eius jam tenere, ſuos ocyus revocat.

Reliqui ut pote Baſsa Temeſvvarienſis & tres Beglii ſupradicti cum aliquot Chiis & Armeniis, ad decies octies mille numerati ſimul cum pluribus tormentis ma, joribus, & cum multo; apparu bellico Peſthâ profecti, nocte circiter duo milliaria à Villeca conſiſtunt, eo fine ut noſtros irruentes in Villecam à tergo incautos adorirentur.

Præfectus autem noſter Generalis unâ cum Dn. Stephano Bathorio, aliâ dicto Ragozi Humanni Maithlini Laſzla & Pogrami Benedictus, ex ploratoribus edocti ea de re ipſos in inſidiis poſitos antevertunt, Seligebant ſepties mille equites Vngaros & Germanos, ad quos Dn. Reubeniz vice præfectus equitum nigro colore chlamydatorum cum duodecies mille equis, acceſserat, inter quos erant equites recentes; aderant item, centum Huſſari & equites Argibuſiani longioribus ſclopetis de more utentes; & centum pedites. Stephanus Bathori, alias Ragozi.

Sub initium Decembris paſsim per Marchionatum Brandenburgicum, Saxoniam & alia Germaniæ loca milites contra Turcam conſcripti & partim Viennam partim Pragam ad delectum habendum miſſi ſunt. Arra ſingulis numerata fuit florenus unus ſive Ioachimicus.

XIIX & XIX. qui Lipſiæ nomina ſua dederant iter ad bellum ingreſsi ſunt. Similiter qui ex noſtris inferiorem Pannoniam tenebant, parati omnes ad expeditionem accingebantur. Evocabantur Viennæ quotidie Lipſenſes conſcripti.

 pedites

pedites ſigno publice more belli uſitato timpanis raucū inſtrepentibus dato.

22. tormenta Gomaram vecta.

XXVI. ejuſdem Menſis die, XXII. majora tormenta, inter quæ erant muralia, mortaria, Serpetinæ campeſtres & quindecim à falconibus denominata, in naves deportata Gomaram advecta fuerunt. In ſumma evocabantur omnes ubi vis locorum, ut contra Turcam arma ſumerent.

Saxonia & Brandenburgici evocati.

Invictiſsimus noſter Imperator Rudolphus II. per legatos ſuos ſedulô agebat cum Electori Brandenburgico, & Principi Anhaldino Chriſtiano uti Celſ. ipſorum bis mille equites in Vngariam mittere & ante proximum Martium menſem, itineri expedire velint: Quare ſi Sileſios & Bohemos equites his annumeres, ſperabantur decios mille equites Germani vere inſtanti in Vngaria conventuri.

10000. equites Germani.

Circa idem tempus poſtquam Vayvoda Palottæ ſtrangulatus eſset, jamq; ſexcenti Turcæ alium in ejus locum cum facultatibus ſuis eò deducerent, & in prioris locum ſubſtituere vellent; Huſsarus Petrus qui Pappæ erat, cum vicinis quibuſdam ſuis Turnacenſibus, eoſdem excepturus infeſto marte adoritur, ſternit pleroſq;, Beglium etiā ipſum, qui Præfecturâ illâ recens infeſtiendus erat, nec ſe ullo modo captum ſervari volebat, interficit: cepit Turcas circiter triginta quinq;, & bona eorum quęcunq; habebant, rapta ſecum avexit.

Huſsarus Petrus 600. Turcas fundit prædam aufert.

IX. eiuſdem menſis die Turcarum Petrinenſium, Siſcenſium & Craſtovicenſiū tria circiter millia in unum coeunt animo Chriſtianos incurſionibus moleſtandi. Cujus facti Dn. Albanus Graſi vein ubi certior eſset, nonigentis viris tumultuarie collectis, Turcis obviam pro-

procedit, quingentos eorum proſternit, plurimos inter quos multi erant primarii, capit, reliquos in Culpam flumen compulſos perdit; ita ut pauci admodum ſuperſtites vel incolumes evaſerint. Scribit Dns. Cobentzel præter ſubmerſos cecidiſſe in conflictu ſeptingentos. Equi complures generoſi prædæ ceſſerunt.

Vltimo Decembris die, Turcæ quatuor ſignis partim equitum, partim peditum, Dregel uſq; excurrerunt cum quibus noſtri manus conſerentes, proſtraverunt multos, plures tum equi tum viri vulnerati. Turcæ proſtratos ſimul & ſaucios ſtatim avexerunt, ut de numero eorum conſtare non poſſet. In eo conflictu duo ſaltem Chriſtiani ceciderunt, duo vulnerati, quatuor equi generoſi in predam venerunt.

ANNO M.D.XCIV.

Ianuarius.

V. Ianuarii, Anno 1594. circiter duo millia Turcarum coierunt, eo fine ut paganos, qui noſtris nomina ſua dederant incautos opprimerent. Res ad Dn. à Teuffenbach delata, is in occurſum accingitur, occidit mille trecentos ex iis capitq; complures. *Teuffenbach 1300. Turcas proſternit.*

X I X. ejuſdem Turcæ aliquot filiam Beglii Copenſis, principali cuidam deſponſatam rheda circumvehebant, ea in Dn. Brunonis milites incidens capitur. *Filii Beglii capta.*

FEBRVARIVS.

X X V. Ferbruarii Dn. Palfius Novigradum obſidet, quod Turcæ videntes oppido eo infra munitionem ſito inceſſo, acerrime noſtris ſe opponunt. Interea Archidux Matthias mille equites nigro chlamydatos adducens, ſex *Novigradum obſeſſum.*

& obſeſsis ſublevandis cogitat. Verùm Dn. à Teuffenbach ea de re edoctus, pridie ei obviam procedit cum ſuis, & tormentis majoribus diſploſis alacriter in eos pugnat, omneſq; ad unum uſq; internitione delet; potitur tormentis quotquot hoſtes aduxerant, & ſeptendecim ſignis militaribus. Qui dum eſset in itineri illo Iaſprimum ſimili modo capit, Turcæ enim trepidantes inde aufugerant quo in loco non contemnendam ſanè prædam, ex varia ſuppellectile, victualiis, alioq; apparatu: & tormenta aliquot majora inveniunt urbem præſidiariis muniunt. Iaſprinum à noſtris occupatum.

Id Turcæ qui Zabolan munitionem tenebant, videntes aufugerunt & ipſi, quam munitionem Chriſtiani occupatam præſidio muniunt.

MAIVS.

Hoc Anno Cæſarea Majeſtas Rudolphus II. Comitia Ratisbonæ indicit, quò Principibus Electoribus, omnibuſq; Imperii Ordinibus accitis, ipſemet Imperator ad octavum Maij comparet. Comitia Ratiſbonæ.

XXIII. Cæſarea Majeſtas congregatis Electoribus & Imperii Ordinibus de variis negotiis ad imperium pertinentibus, maximè verò de expeditione hac in Turcas ſuſcipienda proponi facit.

Sultanus Turcicus poſteaquam ſuorum cladem diverſis in locis factam acceperat, ira incenſus, de ulciſcendis Chriſtianis ſtatuit. Quare bis centena millia virorum tum ex ſuis, tum ex vicinis regnis collecta in Crabatos & Chriſtianos mittit. Ex quibus ſeptuaginta millia latè omnia incendiis & rapinis davaſtantes pagos Turcarum expeditio 200000.

& vicos

& vicos paſsim diripiebant, iterq; per Podoliam, Valaquiam minorem & Moldaviam, quibus in locis innumera propemodum armenta coegerant, uti nimirum tali ſtratagemate vi Polonorum fines perrumperent, ingrediuntur. Poloni verò animoſe reſiſtentes itinera paſsim obſident, atq; ita ea circundant, ut nullibi tranſitus pateret. Quare ad Poloniæ fines pertingentes, ubi Dn. Cancellarii copias in armis conſpexiſſent, facile conjecturâ aſſequebantur, minime per Poloniam ſe intentatos tranſire poſſe; Quare armentorum innumeros greges prævios ante aciem actos, propugnaculi loco diſponunt, ipſi paulatim ſubſequendo promovent. Id Poloni videntes, tormenta ſua in Tartaros omni impetu diſplodunt, tauros tumultuarie confuſos in furorem agunt, qui partim ad latera diſsultantes, partim retro ruentes, perq; medium Tartarorum agmen perrumpentes, ordines eorum plane intervertunt, plurimumq; damni paſsim per eos inferunt: Tunc Poloni urgentes pugnam triginta millia occidunt.

Stratagema

IVNIVS.

Glires in Turcas conſpirant.

In Iunio Glires (quod nomen illis familiare eſt) in Turcas conſpirant, quindecim eorum millia prope Temeſvuarum collecti, Præfectum ſive Vayvodam ex ſuis electum, ſibi præficiunt, atq; hoſtibus animis in Baſsam Temeſvuarienſem, qui ſimiliter cum exercitu quindecim millium ad prohibendum Lippenſium obſidionem, exiverat, jamq; in reditu ad ſuos erat, feruntur, quem eodem die bis aperto marte fundunt cæſis aliquot Turcarum millibus.

Glires vicũ occupat.

Porrò iidem Glires vicum Betzkereck nomine, qui quatuor miliaribus Belgrado abeſt, armis occupant, Turcas

Turcas quotquot inibi erant, ferro excindunt. Ohet caſtellum ſimiliter vi capiunt. Oppidum quod prope arcem Baſcha, ad Theriſam flumen eſt expugnant, ab arce vero ipſa deſiſtere coacti, abſcedunt. Tametſi præſidiarii certis conditionibus deditionem facere jam cogitarent, quas tamen Glires detractarunt, quod ſcirent Turcas preciosiorem ſuam ſuppellectilem, & theſauros præcipuos eò transtuliſſe. Mazul Baſsa qui Temeſvuari antea fuerat, unà cum filio ſuo & exercitu decem milliũ obviam illis ibat, quo ab arce ea obſidionem averteret, ſed à Gliribus ſubitò aggreſsus, & exercitus ejus ita exceptus fuit, ut ab omni illo decies milleno numero, vix ſemel mille evaſerint. Senior Baſsa Temeſvuarienſis, unà cum tribus Begliis, videlicet Reutzſchave, Vidin & Mudas, in acie ipſemet occubuit: Filius ejus fuga eſt elapſus, in eo conflictu Glires octodecim tormentis majoribus potiti ſunt. Tandem VVerſetz oppidum & præpoſiturram quandam Luth nomine expugnatam ceperunt. Dehinc infra VVeche palam ſub dio caſtrametati, literis ad ſereniſsimum Archiducem Matthiam ſcriptis, copias ſibi auxiliares & tormentorum aliquot magiſtros mitti rogant, ſimulq; illi omnem operam ſuam in Turca perpetuò profligendo deferunt.

Ohet caſtellum capiũt.

Baſsa Temeſvuariẽſis & decẽ millia Turcar. fuſi.

Quæ ut primùm ſingula Glires Temeſinarienſes relatu acceperant, legatos ſuos ad modo dictos Glires in caſtris morantes mittunt, qui indicarent illis, quod & ipſi ad illorum partes accedere & vires ſuas cum illis conjungere velint, utq; de ſui ipſorum fide conſtaret, Vxôres & liberos ſuos ſimul obſidum loco offerunt.

Glires alii etiam deficiunt.

Præterea Glires qui inter Danubium & Theiſam flumina habitant, legatis ad Dm. à Teuffenbach miſsis of-

ferunt ipſi decem duodecimve millia virorũ expeditiſſimorum in auxilium mittenda, quatenus protectionem ipſorum & defenſionem ſuſcipere velit, qui data fide ipſos in protectionem ſuam & patrociniam ſuum ſuſcepit.

Circa idem ferè tempus Baſsa Budenſis denuo multa ſuorum millia expediens, Dm. â Teuffenbach improviſo in caſtris opprimere cogitat; verùm Teuffenbachius mature ea de re præmonitus cum quinq; millibus equitum in occurſum illi accingitur, qui hoſtẽ nil tale verentem in caſtris adoritur, cedit quinq; Turcarum millia, & prædam opimam aufert.

I V L I V S.

Menſe Iulio Sinan Baſſa denuo in armis comparens, ad Budam cum exercitu copioſiſsimo caſtra locat, & rationes ſuas ad arcem Dotis obſidendam confert, quam ſeptimo Iulii obſidet; cui Chriſtiani aliquot copias quidẽ opponunt quas hoſtis tamen in fugam convertit.

V I I I. ejuſdem die Turcæ cum omnibus copiis ad Dotin movent, jamq; ipſe Sinan præſens inter ſuos caſtra ſupra montem vicinum locat. Poſtero die Cæſareani cum omnibus copiis á Strigonio movent, qui ea adhuc veſpera inſtructa acie in apertum progreſsi prope Comaram conſiſtunt, in itinere hoſtium caſtra tàm prope tranſibant, ut niſi Danubius medius inter laberetur omnino cum hoſte congrediendum fuiſset.

Cæſariani caſtra ſua non procul à Comara locant, ubi utraq; caſtra mutuo ſibi in conſpectu ſtabant. Præſidiarii in Dotis aliquot vicibus in hoſtes excurrentes levia cum eis prælia tentant, vi hoſtes repellunt, & quotidie fere, cæſorum capita et equos vivos in munitionem reportant.

X. ejuſdem

X. Ejuſdem die ubi hoſtis tormenta aliquot ſibi adducta jam acceperat, aggeres ſtatim molitur, & tormenta in arcem diſplodi curat, quin ea adhuc veſpera trib' eductis aggeribus, ad ipſos muros uſq; propemodum penetrat.

Poſtero die quarto educto aggere muros ruinoſos urbis omnes fere deturbat, & foramina ex quibus globis obſeſſi pugnabant, omnia præpedit.

Die ſequenti obſeſſos indeſinenter tormentis impetit, jamq; ſubter propugnacula cuniculos moliebatur, quos lignorum aridorum faſciculis complet, eo fine, ut arce eruta Chriſtianos per aera diſpergeret.

Rebus ita ſtantibus mulieres, liberi, & pagani quorum vel mille in arcem confugerant, miſerè ejulare, Præfectūque per Deos obſecrare, ut ipſe cum hoſte paciſcatur, ſiquidem ad ſupremum jam ventum eſset, nec ullam porrò oppugnationē obſeſsi ſuſtinere poſsent. Quare ea adhuc veſpera cum hoſte colloquium inſtitutum, & munitio eā conditione hoſti tradita, ut præſidiariis cum uxoribus & liberis ſecure dimiſsis & eductis ſalvus conductus concederetur, verùm more illorum fide bona pacta, peſsime ſervata ſunt. Porrò Sinā Baſsa aliquot millenos Turcarū ad montem Pannoniū diſponit, qui vicos per viciniā igne deveſtarent: Statuit item tormenta aliquot ſuper eundē montem unde preſidiarii deditionēm fecerunt. His actis hoſtis arcem eam ſolo æquante, ne videlicet Chriſtianis in bonum cederet poſthac.

Dotis hoſti tradita.

Mons Pannonius proditus.

XX. ejuſdē die Sabbahti, Sinan Baſsa numeroſū admodū exercitum, decem videlicet virorū millia numerantē ad Iaurinenſem munitionē obſidendam mittit. Verū Ferdinandus Comes Hardeccenſis, cum tribus equitum

Hardeccẽſis cum Sinain anis congreditur.

&uno peditum ſignis illi, in apertum procedit obuiam, & levi quidem, ſed acri admodum prælio, cum illis congreditur, quòd undique fere ab hoſte circundaretur.

Interea Archidux Matthias pugnantibus eveſtigiò duo equitum ſigna in ſubſidium mittit, quorum ope ad duo millia Turcarum fundunt. Eo peracto prælio Chriſtiani ad ſuos in arcem retrocedunt.

Eodem die Dn. Palfius & Bruno copias ſuas prope Comaram coniungunt, eo fine ut Sinanem exciperent, & retardantes inſequerentur: quod ipſorum propoſitum ſimul executi ſunt. Tres enim Tribuni Gotthard à Sterneberg, Razendorff, & Colluntz trecentos Turcas ſubſecutos alacriter adorti plæroſq; cædunt, inter quos Sinanis Magiſter commeatus fuerat, reſiduos diſperſos ad miliare fere integrum perſequuntur, capiunt viginti primarios, potiti Camelis centum 052. mulis 50. Sáccharo, Cubebes, paſſulis, farina, Oryza, pecunia, aliiſq; precioſioribus onuſtis: Equis item triginta generoſiſsimis.

300. Turcæ fuſi 20. capti. Præda opima.

XXI. Iulij, quæ erat Dominica, Archidux Matthias Iaurino excedens, in Chriſtianorum caſtra quæ in Inſula erant conceſsit.

XXIIII. Iaurinenſes noctu ex adverſo S. Montis, in hoſtium aggeres irruunt, ubi uno eodemq; conflictu ſeptem millia Turcarum fuderunt.

Poſtero die Turcæ novum alium aggerem educere, & munitionem tormentis oppugnare incipiunt. E contra obſeſsi haud ſegniùs tormenta ſua in hoſtem diſplodunt: Caſu autem globus ignitus in hoſtium pulverem tormẽtarium coniectus; plurimum eis damni intulit.

XXV. Don, Ioan: de Medices ſupremus Florentinorum Dux in Chriſtianorum caſtra ad Iaurinum advenit:

qu

qui ubi Archiduci nomen ſuum deferri curaſſet, ab ipſo eum ſummo applauſu & congratulatione exceptus eſt.

XXIX. ejuſdem menſis die quinq; Tartarorum, & tria Genitzarorum millia Danubium nando trajecerũt. Turcæ inter natandum ad equorum quos Tartari habebant, caudas appendebant, eo itaq; modo ad illam portam Danubii, in qua Archidux Matthias commorabatur, ſimul omnes ſalvi delati, Archiducem cum ſuis inopinatò opprimere cogitabant, Verùm ita à Chriſtianis excepti ſunt, ut non ultra quingentos evaſiſſe relatum ſit.

Huſſarus Petrus ſupremus Præfectus in Pappa, unâ cũ Tribunis aliquot & equitibus Turcas eodem tempore fudit, quoſdam captos etiam abduxit.

Adhæc Glires, quorum ultra millequingentos congregatos diximus, & ope Tranſylvaniæ Principis ſtraverunt Baſſam Temeſvuarienſem: occiderũt plures quam quater mille Tartaros & Temeſvuarum ipſum oppidum in poteſtatem ſuam redigerunt.

Circa idẽ tempus Archidux Maximilianus tormenta ſua Petrinenſi munitioni in Croatia admovet, eamq; accerrime globorum impetu impugnat, Turcæ ubi remſerio geri viderẽt, munitione ex quatuor partibus incenſâ excedunt. Quare ultimo Iulii die Serenitas ipſius deſertam eam noctu occupat.

Chriſtianorum ducenti propterea Hraſſovuitz expugnant, ubi quadraginta octo præſidiariis Valaquiis cæſis; quinquaginta germanis & totidem Schlavonibus locũ cõmuniunt. AVGVSTVS.

Kalendis Auguſti Turcæ denuo Iaurinum accerrime tormẽtis oppugnant, aggereſq; eò producunt, ut muros & propugnacula tormentis jam contingerent.

III. Ejuſdem die quater mille Tartari per Danubium inter Iaurinum & Comar, equorum adminiculo trajecerunt: ſiquidem ad illorum caudas pendentes Cimeterras ſuas ore natantes trahebant. erant cum illis ſexcenti pedites, qui vectibus oblongis ſimul junctis, & mediâ corporis parte impoſitâ flumen tranabant, qui ubi jam ripam ulteriorem ſimul contigiſsent, aggerem Chriſtianorum quē rectâ ad Danubium adduxerant, invadunt, ubi quinq; tormenta majora reperta in Chriſtianos convertunt. Quod ut primum Sereniſsimus Archidux Matthias relatu accepiſset, Tartaros ad unum omnes internetione deleri facit: ſi qui nando elabi nitebantur, & ipſi flumine ſubmerſi perierunt, vix decem ex omni numero ſuſperſtites evaſerunt

VIII. ejuſdem, denuo tria millia hoſtium per Danubium nando trajiciunt, & incenſo vico uno in Chriſtianorum caſtra irruunt, qui à noſtris equitibus ita ſunt excepti, ut arma ſimul omnes projicientes, flumenq; jam renare cupientes, ſubmerſi ad duo millia eorum interierint.

IX. Auguſti, tempore pomeridiano Iaurinenſes Vngari & Germani pedites equitesq; ſimul in hoſtium aggerem, vix præcedente nocte prope patibulum ad portam Albenſem eductum, & tormentis majoribus inſtructum proruunt, ubi Turcis incautis ſupervenientes Genitzaros inde profligant, ducentos Turcarum primarios trucidant, inter quos duo ſimul Beglii cæſi quinq; tormenta magna impactis cuneis ferris corrupta. Iamq; aderant equites Turcis opem laturi quos globis tormentariis intrepide noſtri dejiciunt, quatuor Vexilla capitalia, quorum unum in aſpice argenteum globum deauratum habebat

bebat, reportant: præterea quatuor ſulphuris tormentarii tonnis, cum globis, ephippiis, machinis bellicis, clenodiis & aliis à Turcis relictis potiuntur. In hac impreſsione Vngari & Itali ſtrenue egerunt: ex parte Chriſtianorum periit Ianus Barbirer vir militaris; Huſsarus Petrus globo brachium trajectus eſt.

Eodem die triginta Huſsari inter Rabanitz & Iaurinū trecentos equites Turcicos obviam habuerunt, quos partim proſternunt, partim vivos capiunt, adhæc mulos & equos aliquot raptos ſub Veſperam in caſtra adducunt.

Poſtquam Chriſtiani jam certiores eſſent Turcas pontem navalem Budâ aduehere jamq; eū adducere pedites unâ cum equitibus Dn. Palfio & D. Brunoñi militabant, itineri accincti ad XII. Auguſti ſummo mane pontem eum, quem pagani curribus impoſitum vehebant loco admodum oportuno, exceperunt, aderant ibi tres etiam Turcici legati à Porta Conſtantinopolitana miſsi magnam pecuniæ vim in Sinanis caſtra portaturi: quare & ponte ipſo & legatis & peccunia, multisq; multorum literis à Porta, ad Sinanem ſcripti potiti, & Turcis qui ſalvum peccuniæ conductum præſtabant, omnibus interemptis, prædam opimam avexerunt, ipſi in caſtra incolumes reverſi.

XI. & XII. Auguſti Turcæ in aggeribus educendis ad Iaurinum admodum deſudarunt, jamq; ad muros uſq; ita proceſſerant, ut terra projecta inde in foſsas Vrbes aquaticas decideret, eo ſane in loco omnem operā Turcæ impenderunt quò foſsas eas aridorum lignorum & ſtramineis faſciculis complerēt; at obſeſsi ejuſmodi hoſtium conatus, continue globis miſsis pro virili prohibuerunt.

Eodem

Eodem die Turcæ ſumma vehementia & impetu globorum continuo in Laurinum intonant, ut obſeſsi tertia tum vice in hoſtium aggeres prorucntes eos profligant; ex equitibus autem Turcicis, qui defendendo aggeri aderant nunc hos nunc illos globis dejiciunt: quin obſeſsi majora tormenta adducentes & de muris acriter pugnantes hoſti plurimum damni dabant illis diſploſis.

X I V. Auguſti. Hoſtis denuo alium aggerem, altitudine inferioris propungnaculi adducit, in quem tormẽtum vaſtæ magnitutidinis, cui vel centum boves vehendo non ſufficerent, deducere conſtituerat, verùm inſtitutum id non ſucceſsit.

XV. Auguſti. duo magnifici Bribeglii in equis à Turcis ad Chriſtianos defecerunt, ii retulerunt, Turcas plures quam centum currus ſtramine onuſtos ſecũ habere, quibus foſsas aquaticas ad Laurini mœnia complere deſtinarint, ut videlicet poſtero die munitionem expeditius incurrere poſsent, unde noſtri quantum poterunt, illud incommodi avertere nituntur.

X VII. Auguſti Turcæ noctu octodecim globos inflammantes in arcẽ conjiciunt nihil, tamen Deo ita providente noſtris magnopere damni intulerunt, obſeſsi enim di videntes ſummo mane hoſtium caſtra invadunt.

Dn. Palfius enim decimo octavo ejuſdem menſis die, cum peditibus ſuis per Albenſem portam, cum equitibus verò per Vienenſem: Capitaneus autem Geitz Koffler ad Danubii ripam quâ periculum maxime imminebat egrediuntur, ita ut vicies mille Chriſtiani pontem illum ex ratibus junctis ſtructum, pariter equites pediteſq;, Vngari & Germani promiſcue in hoſtes euntes, tranſmiſerint.

Poſteaquam ergò armentarij noſtri hoſtem primo congreſſu ex aggere profligaſſent, iamque tria tormenta cuneis impactis inutilia feciſſent, hoſtis ſe interim recolligens, atque omni impetu in Chriſtianos proruens, noſtros ex aggere occupato vi repellit.

Quæ dum ita ancipiti marte geruntur, noſtri interea cateruatim ex vrbe erumpunt, ad quos ex altera parte Huſſari & equites cæteri accelerant, vnde milites noſtri denuo animoſiores aperto marti ſe credunt, hoſtemque ex aggere tertio propellunt.

At Turcæ & ipſi equitibus iam auctiores, peditatum noſtrum in tantum vrgent, vt equites, & maxime qui in rubro chlamydati ſub Dn. Emerico Von Kinſperg militarent vim contra ferre neceſſe haberent, donec reliquæ noſtrorum turmæ adeſſent: antequam vero illi in auxilium venirent, ipſe Dn. Kinsbergius tribunus in centũ equites, globo ignito traiectus interijt. At vbi equites iam omnes in vnum collecti in procinctu eſſent, iamque pugnam animis præſumerent, hoſtis omnes commoditates prior occupat, ita vt nihil memorabile à noſtris ea vice confectum fuerit. Conceſſerat agmen quoddam hoſtium in vineas, quod equites Moraui & Archicuſiani irruentes acri prælia aggrediuntur. Ceciderunt tum ex Turcis complures, vulnerati nõ pauci. Ex noſtris vero equites peditesque ſimul circiter centum deſiderati. Equitibus præcipuum damnũ ex maioribus tormentis illatum. Dn. Palfius globo angulari in femore læſus. Obſeruatum præterea foramen ſatis ſpacioſum in ſubterraneo propugnaculo Iaurinenſi, in quod quinque Turcæ nudi ſe abdiderant, qui priore nocte foſſas nando tranſmiſerant, inibique ſe latitare poſſe ſperarãt, quorum vnus lapidibus obrutus, alter

globo traiectus, tres reliqui ferro perierunt. Conflictus ad horam meridiei duodecimam vſque, à ſeptima matutina cõtinuatus. Ceciderunt, quantum rumore conſtabat, Chriſtiani quadringenti, quorum maior pars in flumine periit, Turcarum vero quatuor millia in acie procubuerunt, inter quos Beglerbeglius Græciæ viuus, & tota aurea veſte indutus in noſtrorum poteſtatem venit, qui quod in fuga ægre duceretur, fruſtulatim à noſtris conciſus eſt. Capitaneus Genitzarorum eodem fato periit. Noſtri ſeptendecim vexillis Turcicis inter quæ fuerat vnum præ reliquis excellentius, potiti ſunt.

Eodem hoc momento fere viginti millia Tartarorum flumẽ Rabanitium tranſmittentes, quæcunque obuia igne & ferro deuaſtant, quin Viennam Auſtriæ vſque excurrunt. Præterea octo millia Turcarum quos Ferathes Baſſa ſecũ in Vngariã à Porta Conſtantinopolitana adduxerat, territorium Dn. Nadaſtii inuaſerunt, vbi circa triginta vicos pagoſque deuaſtantes Ouuarã perrexerunt. Quæ cũ Dn. Nadaſtius relatu accepiſſet, hoſtẽ inſecutus prædam auectã recuperauit cæſis octingentis Turcis, ſuorum autem quotquot poterat in libertatem aſſertis.

SEPTEMBER.

Sexto die Menſis Septembris quę Veneris erat, tempore meridiano Tartari ad miliare vnũ infra Ovuaram traiecerunt Danubium, vbi vicum VViſenburgum flãmis deuaſtantes, & alia multa mala creantes tandem à noſtris repulſi ſunt. Dn. Bruno Præfectus Gomaræ cepit aliquot Turcas, cum centum bobus & triginta mulis onuſtis, quam prædam Gomaram vertit.

Decimotertio Septembris die, quæ & ipſa Veneris erat, Turcæ omnibus copiis à ſummo diluculo ad crepuſculum vſque Iaurinũ oppugnantes à noſtris ſtrenue

re pulſi

repulſi ſunt. Biduo poſt continuo hoſtis haud remiſſius munitionem eam oppugnat, cadũt hoſtium vltra duodecim millia, reliqui re infecta cum dedecore abſcedere coguntur. Sinan tamen Baſſa propugnaculum vrbis ſulphure diſrumpit, cuius ruina foſſæ ſatis alte completæ ſunt. Lunæ proxima ter vrbem acerrime incurſionibus aggreditur, verum ſpe non tantum fruſtratur, ſed & ſuorum plurimos deſiderat.

IAVRINVM TVRCIS TRADITVM.

Dum hæc geruntur, Turcæ obſidionem haud ſegnius vrgent, nunc cuniculos molientes, nunc igne ſubiecto propugnacula diruentes, quin per dies quinq; continuos muros oppugnantes feſſis vſque recentes ſufficiunt, foſſaſque dirutorum propugnaculorum ruderibus cõplent ſoloque exæquant, vt plano pede ferme muros incurſare poſſent. Obſeſſi itaq; licet toto obſidionis tempore viriliter hoſtem ſuſtinuiſſent, furentesquè Turcas ſæpius fortiter repuliſſent, plurimosque eorũ trucidaſſent, tandem tamen hoſtium multitudine victi animos remiſerunt. Comes itaque Hardeccenſis re cum cõmilitonibus ſuis communicata cõſilium iniit de induciis cum Sinane paciſcendis, deque munitione ea, certis tamen conditionibus hoſti tradenda. Qui cum facile intelligerent quantam infamiæ notam, quantumque periculi incurſuri forent, ſi deditionẽ facerent, ad 17. Sept. diẽ publice proteſtatione facta ad vniuerſos per Vngariã militantes Chriſtianos innocentiã ſuã atteſtati ſunt.

Sereniſs. Archidux Matthias interea cum copiis nõ ita magnis Bruckæ cõmorabatur, cui Marchio Brugenſis & Don Ioan de Medices ſe cõiunxerant. Sequentibus diebus Mercurij & Iouis, qui ſub ſignis Marchionis erãt ſecundo flumine ad Iaurinum ſubleuandũ mittuntur,

verum certiores de Iaurinenſium deditione facti in itinere ſubſtiterunt.

Bohemi cum Rotomannis quorum delectus nondum habitus erat, quique ſub triginta duobus peditum ſignis & ſeptem equitum ad viginti millia numerabantur, VVelſæ & circa eos fines in armis erant.

Poſteaquam ergo Turcæ Iaurinum in poteſtate ſua iam haberent, Templum quod in vrbe erat tellure complent, & tormenta ſuperimponunt, addunt Præſidiarios quatuor millia Genitzarorum, duo millia equitem & mille Sphaiglios.

Viceſimo octauo Septembris Turcæ munitionem Komarienſem, in qua vltra quinquaginta & ducenti Præſidiarii nõ erant, arctiſſima obſidione & crebra tormentorum diſploſione cingunt, atque impetunt.

OCTOBER.

Kal. Octob. denuo fortitudinis ſuæ ſpecimen edunt Zengij, duobus ſiquidem miliaribus à Zenga Turcas incautos opprimentes prædam ad centena millia Ioachimicorum facientem in variis mercibus, illis eripiunt, vrbemque captam incendio vaſtant. Quod factum cum Turcis finitimis & Venetianis innotuiſſet, ocyus ad arma confugiunt, Zengioſque intercipere properant, verum re infecta recedere coguntur.

TARTARORVM STRAGES.

Septimo eiuſdem menſis die exercitus Domini Palfij duo Tartarorum agmina inuadit, quæ partim proſternit, partim capit.

Decimoquarto eiuſdem Menſis die, Sereniſſimus Archidux Matthias cum exercitu Biſchoffsdorffam venit, poſtridie Kòmaram iter inſtituit, ad quem duo Vngari & Turca vnus oportune tum aderant, qui

Turcas proxima die Veneris præterita ad vndecimum videlicet eiuſdem Menſis, Schutta Inſula quæ eſt inter Komaram & Iaurinum exceſſiſſe, noſtroſque hoſti diſcedenti tormentum vnum ex maioribus vi eripuiſſe Komaramque adduxiſſe nunciabant.

Quare vt primum de hoſtium diſceſſu conſtitit, noſtri ſimul de nauibus progreſſi territorium Dotenſium petunt, aggeres Turcarum inuadunt, machinaſque eorum bellicas cõtundunt & inutilia reddunt, ſulphur tormentarium incendunt, hoſtiũ plurimos occidunt, caſtraque eorum diripiunt, ita vt Komarienſibus pax ſatis tuta iterum affulſerit. Turcæ itaque priſtinam ſuam ſtationem requirentes ad Dotenſium montem caſtrametantur, donec de diſceſſu plane tandem conſtituerent, & inde abſcedentes hyberna ſua Budam & circa eos fines locarent. Quo peracto Bohemi plærique ex caſtris domum redierunt. Dn. à Roſenberg cum præcipuo equitatu in caſtris perſtitit. Dn. Teuffenbach cum peditatu octo millium, & Dn. Palfius cum duodecim millibus peditum, præter eos qui inde à Danubij fonte ad decem millia in caſtra venerant, ſe cum Sereniſſimo Archiduce Matthia coniungunt.

Baſſa qui recens Iaurino præerat, Sinani per nuncium aperte exprobrat, quod is Sinan fidem quidem de Komara certo obſidenda atque occupanda adeo fecerit, verum reipſa eam fefellerit, proinde nec ſe poſthac in Iaurino perſtiturum, ſed deſertionem eius & abitum conſtituiſſe.

Sinan interim quinque Turcas ſub legationis ſpecie Komaram ad Dn. Brunonem mandat, qui ex Brunone quærerent, num vltro munitionem eam tradere, ſeu belli potius aleam experiri malit. Qui vt primum

Komarę adfuerũt, Dn. Bruno quatuor ex illis eueſtigio capitibus truncari & capita eorũ ad vrbis muros præfigi facit, quintũ Sinani remittit qui diceret, ſe Brunonẽ, minime Hardeccenſis more proditorem eſſe, ſed Rom. Imperatoriæ Maieſtatis fidelem officiatum, ſeque prius in Turcarum cruore lotis manibus ſuis mortem præeligere, quam in turpem munitionis ſuæ proditionem conſentire.

EXPEDITIO TRANSYLVANI.

Eodem fere tempore Princeps Tranſyluaniæ Sigiſmundus expeditionem in arcẽ quandam Turcicã, quæ poſt Temeſvuarum ſita eſt, ſuſcipit, vti videlicet obſideret eam: Verum cum videret Turcas Solnocam & inde in Tranſyluaniam cogitare, ab obſidione deſiſtere & propriæ iam ſaluti conſulere cogitur.

POLONI TARTAROS AGGREDIuntur.

Decimoquarto Octobris die Tartari ad ſedecim miliaria Cracouiæ Poloniæ metropôli appropinquant: Qua de re vt primum Rex certior factus eſſet, nocte ipſa iam ingruente Conſiliarios ſuos ocyus conuocat, & ſenatu habito ſummo dilûculo ad 15. Octobris diem cum tota Nobilitate eius oræ Tartaris obuiã procedens eos in fugam vertit. Præfectus Suadeccenſis munitionem quandam Turcicam Chocyram dictam occupat, opimamque prædam & commeatum copioſum inibi capit. Dn. Cancellarius magnus regni Polonici, Tartaros qui ex Vngaria reuerſuri expectabantur, in armis operitur, ſiquidem tam Vngari quam Poloni literis ſcriptis ſignificarant Tartaros illac iter ſuum directuros, & in patria ſua hyberna habituros.

Rex

Rex ipſe Poloniæ literis ad Rom. Pontificem ſcriptis animum ſuum declarat, quod in proxime futuris regni ſui Comitiis ad Ianuarium inſtantem indictis, de communi ope contra Turcas Chriſtianis ferenda conſtituiſſet, quodque Turcis pacem pactam iam tum renunciarit.

NOVEMBER.

Quinto Nouembris die Dn. de Leucovuitz Præfectus Carlnſtadienſis cum toto exercitu ſuo ad 1000. viros numerante noctu expeditionem ſuſcipit, & ſummo diluculo ſcalas ad VVihitſch quæ vrbs eſt Croatiæ, applicat, vrbeque ea ſine vllo tormento magno potitur. Tametſi vero Turcæ maximis clamoribus & inſultibus reſiſterent, paucis tamen exceptis, qui in arcem confugerant, ferro & globulis reliqui omnes interierunt. Mille ducenti Chriſtiani ex Turcica ſeruitute aſſerti ſunt, vrbs ipſa prædę data direpta & igne deuaſtata eſt. in hoc conflictu vix tres Chriſtiani deſiderabantur: plateæ & areæ vrbis & mœnia ipſa Turcarum & Valaquiorum cadaueribus conſtrata cernebantur, plurimi quoque hoſtium per noſtros de muris in flumen præcipites dati. Vrbe capta commeatus plurimus, maxime vero frumentum & vinum ſublimatum in magna copia aderat, quę cuncta peditibus Croatiis ceſſerunt, quoniam equitibus deſcendere ab equis non liceret, hac præda itaque capta cum ſatis numeroſo armentorum grege Præfectus abſcedit, Vrbem ipſam VVihitſch, vt & Drocſnick & Iſſuſchuſch, oppida nullo amplius damno afficit, vnde ad octauum Nouembris diem Carlſtadium rediit.

OCCA-

OCCASIO QVA SERENISSIMVS TRANSYLVANIAE DVX SIGISMVNDVS EXcuſſo Turcarum iugo ſe cum Rom. Imperio coniunxit.

POſteaquam Sereniſſimus Tranſyluaniæ Dux Sigiſmundus Turcici Sultani perfidiam aliquot iam annos expertus, tantæque ſeruitutis pertæſus eſſet, animo ſuo plane conſtituit finem hiſce oneribus tandē imponere, (iugo nimirũ eo excuſſo,) ſeque cum Romano Imperio coniungere, atq; Romano Imperio operā opemque ſuam in præſenti bello contra Turcas deferre. Mittit ergo Generoſum Dominum Stephanum legatum ſuum ad Cæſaream Maieſtatem Rodulphum II. qui inter ipſum & Cæſaream Maieſtatem æternum fœdus, certis tamen & præſcriptis quibuſdam conditionibus ſanciret. Cuius ad Imperatorem propoſita in ſubſcriptis articulis continentur.

PETITA TRANSYLVANICAE LEGAtionis ad Rodulphum II. Rom. Imp.

I.

PRomittat Imperator Romanorum tam ſuo quam Regni Vngarici nomine, quod bellum hoc contra Turcas ſuſceptum continuare velit; & ſi quando de pace agendum ſit, quod id non niſi vtriuſque conſenſu & approbatione futurum ſit, in qua tractatione non tantum Tranſyluania cum appertinentibus regionibus, ſed & vtraque Valaquia, quæ ex voluntate Principis Tranſyluani iam à Turcarum ſeruitute ſe ſubducat, includi debeat.

II. Tota Tranſyluaniæ Prouincia, qualis quidem ea antehac

antehac ſub Illuſtriſſimis Principibus Stephano & Chriſtophoro conſtitit, in omnibus ſuis actibus & regalibus, quibuſcunque nominibus ea veniant, quieta maneat, & abſq; vlla Regum Vngaricorum interpellatione ſuis priuilegiis & immunitatibus permittatur, quod vt ratum conſtet, ipſius Cæſarea Maieſtas iam nunc illi Prouinciæ totaliter renunciet, atque liberam ita iuriſdictionem regni Tranſyluanici totaliter ipſi Sigiſmundo permittat, quod ſane vt feliciter confirmatum habeatur, neceſſe eſſe, vt modo præſcripta conditio ab ordinibus regni Vngariæ acceptata vnanimiter & ſubſcripta approbetur.

III. Vt Maieſtas Imperatoria Tranſyluanum Principali inauguratione cohoneſtare velit, eundemque ſimul Dignitatis gradum titulumque impræſentiarum particulatim clementiſſime declarare velit.

IV. Cæſarea Maieſtas præterea nuptam ex Sereniſſima Auſtriacorum domo oriundam Sigiſmundo Principi annuat, ſimulque Legato præſenti Sponſaliorum Nuptiarumque diem & locum ſtatutum clementiſſime determinet.

V. Adhæc Cæſarea Maieſtas Sigiſmundo promittat nomine regni Vngarici, quod ſi ita vſu Sigiſmundo veniat, vt vel fortunæ aleam experiri neceſſe habeat, vel alio modo quocunque ab hoſtibus vrgeatur, vt minime tum à vicinis ſuis Vngaris deſeratur, quinimo quibuſcunque mediis & viis ipſi ſubſidia decernant, quibus neceſſitate vrgente confidere auſit.

VI. Cæſaream quoque Maieſtatem haud grauate curaturam, vt ipſe Princeps aureo vellere, quo videlicet arctius Auſtriacæ familiæ obſtrictus habeatur, quamprimum fieri poſſit, donetur.

VII. Quanto vero exercitu, tam ex Vngaris quam Germanis conſtante Princeps opus habiturus ſit, id pro rei vrgentis occaſione & neceſſitate quouis tempore æſtimari debere, qui ſane exercitus Rom. Imperatoris ſumptibus tum ali debeat.

VIII. Adhæc cum numerata pecunia in varios vſus durante hoc bello & alias opus ſit, Sereniſſimus Tranſyluaniæ Princeps centena millia florenorum offert, quam ſummam ſingulis annis integram depoſiturus ſit Caſchouiæ: quoniam vero annus hic iam vertatur, dictam ſummam ad proximum Martium in commune Chriſtianorum commodum deponet.

IX. Quotiescunque contra Turcam vel bellum ſuſcipiendum, vel hoſtis neceſſario aggrediendus erit, Cæſarea Maieſtas clementiſſime fidem faciat, quod re ita nata Tranſyluaniæ Princeps Præfecto Caſſouienſi ſumptibus Romani Imperatoris ſubſidium ferre debeat, vna cum omnibus iis, qui eodem ſpectant: ſin verò ipſe viribus inferior ſit, quam qui Caſſouienſes ſubleuare poſſit, vt tum Maieſtas Cæſarea de maioribus auxiliis mittendis ſtatuat.

X. Quod vt maiore autoritate peragatur, Cæſarea Maieſtas apud Romanum Imperium de eo titulo ſatis cauere norit: cuius ſane Imperij ipſe Sereniſſimus Tranſyluaniæ Princeps vna cum omnibus poſteris ſuis membrum (ſine tamen ſuffragio, atque ſeſſione) dicendus numerandúſque ſit.

XI. Cæterum Cæſarea Maieſtas fidem fecerit, vt ea loca, quæ nunc ſub hoſtium poteſtate ſunt, & defenſioni Chriſtianorum opportuna eſſe poſſint, ſi fortuna noſtræ militiæ affulſerit, quamprimum communiantur,

tur, præſidioque roborentur; quod quidem negocium haud ſegnius à Serenitate ipſius ſuſcipietur.
XII. Quod ſi pro diuino nutu victoria ex noſtrorum partibus ſteterit, vt tunc ii, qui à Turcis ex Tranſyluania expulſi in Vngaria ſedes ſibi fixas compararunt, in tranquilla poſſeſſione vel quaſi permaneant.
XIII. Ne vllus aliquis cuiuscunque ſit vel conditionis vel dignitatis ab hoc priuilegio excludatur, quantumuis antehac vel ipſam Cæſaream Maieſtatem, vel eiuſdē parentes aut maiores offenderit, ſiue qualicunque modo indignationem eorum incurrerit.
XIV. Cum vero anceps ſit victoria, & quod DEVS clementer auertat, ſi fors ipſe Princeps ab hoſte vincendus profligandusve ſit, vt tunc à Cæſarea Maieſtate Principi Transſyluaniæ, quicunque demum is in ſucceſſione futurus ſit, aliquot arces cum territoriis ſuis occupandæ tradantur, in quibus pro reputatione ſua degere poſſit.
XV. Quæ cuncta non ſolum ipſi Principi, ſed & omnibus iis, qui vitam fortunaſque ſuas in tali diſcrimine impenderint, earumque iacturam fecerint, rata eſſe debent, eandemque ob cauſam haud immerito ſubleuationis titulo dici poſſunt.
XVI. Vt omnia ea bona, quæcunq; ſummus Capitaneus Tranſyluaniæ, Franciſcus Gentij, poſſeſſione vel quaſi hucuſq; in Vngaria & Croatia poſſedit, poſthac ſine interpellatione eadē quiete occupet, poſſideat, cōtinuet.
XVII. Tandem vt præmemoratæ Conditiones in inſtrumentum aliquod fide dignum redigantur, atque vt iuramento ab vtraq; parte, tamq; ab Ordinibus Vngariæ, quam ipſo Imperatore præſtito confirmentur.

Super quibus Legatus ſpe bona erigitur, fore vt Cæſarea Maieſtas expedite reſpondeat: rogatque nomine

Illuſtriſſimi Principis ſui, qua poteſt ſubmiſſione, vt ſi quæ ſint alia, quæ tractationi huic obſtare poſſint, ea in commodius tempus differantur, ſeque ita obſequioſe commendatum eſſe cupit.

Rodulphus II. Imperator Romanorum propoſita minime detrectat, ſed ea vltro citroque cum ſenioribus conſultata æquanimiter acceptabat. Quo modo factum eſt, vt inter Cæſaream Maieſtatem & Principem Tranſyluaniæ fœdus iniretur, ſequentibus articulis comprehenſum.

FOEDVS INTER RODVLPHVM II. Rom. Imperatorem, & Tranſyluaniæ Principem ictum.

Romanorum Imperator & idem Vngariæ & Bohemiæ Rex, abſque Principis Tranſyluani conſenſu cum Turca fœdus nullum ſanciet, & vice verſa nec Tranſyluanus abſque Imperatore pacem cum Turca tentabit, ſed mutuam operam in communi hoſte propulſando tradent.

Imperator Romanorum vna cum omnibus Vngariæ ordinibus, renunciabit quibuſcunque reconuentionibus, de quibus ab initio inde Tranſyluanos reconuenire potuerint, eo modo vt Princeps Tranſyluaniæ & omnes hæredes eius maſculi, in linea recta deſcendendo ſint poſthac Principes liberi, nullumque alium ſuperiorem agnoſcant, vnde & Titulum Hochgeborn, id eſt, Illuſtriſſimi Imperator ipſi decernit, eumque Principem Imperij Romani conſtituit; iuxtà fidem faciens, quod ipſe Princeps vna cum Prouinciis omnibus ſuis ſub Romani Imperii protectione & defenſione eſſe debeant.

Econtra

Econtra Princeps ipſe reliquique Ordines Tranſyluaniæ in hoc firmiter conſenſerunt, quod ſi in linea recta deſcendendo proles nulla maſcula ex Principe ſuperſit, vt in tali caſu omnes prouinciæ Tranſyluanicæ tunc ad Regnum Vngariæ hæreditario redeant, ea tamen lege, vt is qui tunc Rex Vngariæ futurus ſit, ex pacto teneatur, filias ſi quæ ex Principe relictæ ſint, non ſecus ac germanas ſuas filias dotare & maritare. In quo caſu Tranſyluanis Gubernator qui eiuſdem ſit nationis conſtitui debet: ſaluis & confirmatis ex integro omnibus iis Priuilegiis, Legibus, Conſuetudinibus & Libertatibus, quaſcunque à ſuis Principibus hactenus acceperunt.

Mutuam operam pro re & neceſſitate nata vtrinque præſtabunt ſibi tum Imperator, tum Tranſyluaniæ Princeps.

Quæcunque Princeps ſuis copijs, ſuoque marte occupauerit, ea tanquam propria poſſidebit: Si tamen ad Vngariæ regnũ aliquid eiuſmodi pertineat, id pro feudo obtinebit. Addicit Imperator Principi nuptam ex domo Auſtriaca, ſimulque vellus aureum.

Si euentus ita ferat, (quod tamen ſine omine dictum ſit) vt Princeps ex finibus ſuis eijciatur, Imperator tenebitur tantundem terrarum, tantundemque redituum, in ſuis hæreditariis Prouinciis ipſi præſtare, vbi vitam Principe dignam degere poſſit.

Ex eo tempore Tranſyluaniæ Princeps Sultano Turcico renunciat, & quibuſcunque modis poterat, ſe Cæſareæ Maieſtati Rodulpho II. Romanoque Imperio fidelem præſtat: Conſcribit exercitum validiſſimũ, equites pediteſque ſimul ad ſexaginta millia numerantem. Iamque ipſe adiuncto ſibi Vayvoda Valaquienſi fi-

nes Turcicos hoſtiliter inuadit, Adrianopolim vſq; excurrens, aberatq; vix tredecim milliaria à Conſtantinopoli, quæcũq; obuia in tranſitu igne ferro & direptionibus vaſtat: Congreditur cum Turcis & Tartaris aperto marte, proſternit aliquot eorum millia, capta admodũ opima pręda, cuius milites gregarios ex bona parte participes facit: Victor domum tandem redit, Romanorumq; Imperatori per Legatos ipſius Imperatoris criſtas precioſas ex eo genere quod Jockfedern noſtri vocant, aliaque ſplendiſſima donaria ſuo nomine offerri facit.

DECEMBER.

Decimoquinto Decembris Turcæ præſidiarij in Iaurino per Scythicam Inſulam excurrere auſi, verum à paganis ibi congregatis parum humaniter excepti, circiter centum ex ſuis deſiderarunt, præter eos qui fuga elapſi, quique in profluente perierunt.

TRANSYLVANI TARTAROS inuadunt.

Hoc ipſo menſe Princeps Tranſyluaniæ Turcas maximis damnis afficit, arcemque nunc hanc nunc illam hoſti eripit, Tribus in locis diuerſis tendebat. Agmen vnũ ducebat Geſti Ferens in Lucaro prope Temeſvvarum. Alterum Harbot Michal vltra Danubium, vt nimirum Turcis vias Budam verſus intercluderet: Tertio agmini præerat Cornois Caſpar prope Iulã, cui ſe mille quingenti equites ex ſuperiore Vngaria coniungunt.

COSSACI IN VALAQVIAM ET Poloniam excurrunt.

Circa hæc tempora quatuordecim millia Coſſacorum Valaquiam inuadunt, Præfectoque eam oram late longeq; vaſtam reddunt diripiuntque omnia, ipſo Præ-

fecto

fecto ter armis victo fugatoque, & ipſe bis quidem ægre cum vno atque altero comite euaſit. Coſſaci ex indicio Valaquij cuiuſdã toto eius Theſauro aureo argẽteoq;, quẽ ipſe diuerſis in locis depoſuerat defoderatq;, potiti, vrbem incendunt, incolas ferro excindunt, abducunt vltra vicies ſexies millia armentorũ Çabaniçorum ſelectiſſimorum abripiuntq; ſexcentas virgines nubiles.

Septuaginta tormenta magna capiunt, quæ partim retinent, partim lapidibus impleta rumpunt: Bouem vnum pro tribus mellis menſuris diuendũt, abſumpto melle boues vi repetunt. Hinc in Poloniam pergunt, rapiuntque Staroſtæ qui Bæræ agit, vltra triginta millia Ioachimicorum precio, ipſum Staroſtam pro nutu tractant, deuaſtant arces & oppida quæcunque. Simili furore Synroluæ, Baglone, aliiſque in locis feruntur, nunc hic nunc illic ſubſiſtentes.

Poſtea Lembergam petunt, poſcunt ab oppidanis puluerem tormentarium, equos & plumbum ſibi ſubminiſtrari, indieſque varia hominum colluuie, vtpote obæratis facinoroſiſque quibuſvis nullibi certas ſedes habentibus augeſcunt eo vſque, donec ad ſedecim millia excreſcerent, ſclopetis erant ſatis inſtructi, tribuſque ſignis erectis agmen ducebant, quorum vnum Aquilam nigram Romanam habebat, & in ſumma pertica pomum argenteum deauratumque, quale Imperii eſſe ſolet, præferebat. Alterum aquilam niueam & in ſumma pertica globum argenteum oſtentabat; Tertium ſignũ, ipſis erat proprium, prætendebant ſe ſub Romani Imperatoris auſpiciis militare, & Vngariam petere.

TVRCICA LEGATIO AD Polonos.

Legatus Turcicus Chammetzam aduentat, qui à Polo-

à Polonorum rege petit, vt pacem cum Sultano ad futuram æſtatem colat, vtque exercitui Sultanico ſaluum conductum per Poloniam concedat, nec regi Vngarico qui Viennæ agat, ſubueniat, addita comminatione, ſi ſecus faxit quam ipſi cuperent, tum Sultanum relicta Vngaria in Polonos exercitum conuerſurum.

Anno M. D. XCV.

Ianuarius.

COSSACI ET PODOLII CVM Tranſyluano fœdus.

IAnuario ineunte, poſteaquam Coſſaci & Podolij intolerabilis illius ſeruitutis Turcicæ, quam hactenus tot annos ſuſtinuiſſent, iam pertæſi, ad hæc ſtragem illam memorabilem Turcarum Tartarumque, & glorioſam Tranſyluaniæ, Moldauiæ Valaquiæque Ducis victoriam coram experti, deque Glirium, Moldauorum & Valaquiorum defectione certiores eſſent, conſtituunt & ipſi fortunæ aleam experiri, & iugum illud ſeruitutis intolerandæ tandem excutere; cuius rei cauſa Legationem magnificam ad Tranſyluaniæ Ducem expediunt.

Propoſita & petita illorum hæc erant præcipua, vt nimirum Serenitas ipſius non niſi duorum menſium ſtipendium ipſis præſtare velit, ſaluo ſimul cõductu per Tranſyluaniam conceſſo, ſe de reliquo ex manubiis ſibi proſpecturos, omnemque operam nauaturos, quo Hadrianopolim in poteſtatem ſuam redigant. Quid ſuper his reſponſi tulerint, in poſterum patebit, gratioſe tamen omnes & cum ſplendidis admodum donariis dimiſſi ſunt.

Porro

Porro certo conſtat, eos apud quoſdam Comites verſatos Turcis non leue damnum intuliſſe, præſertim hoc inſigni ſtratagemate tentato: Erat Danubius acerrimo gelu tum aſtrictus, ita vt paſſim per eum curribus & equis tranſitus pateret. Ipſi itaq; clam inciſa glacie, lacunisque exciſis niue denuo expletis Tartaros infeſte inſequentes in extremum periculum pelliciunt plæriſque eorum ſuffocatis. Ex quo facile conijcimus ipſos voti petitioniſque ſuæ procul omni dubio ex ſententia à Tranſyluaniæ Duce compotes eſſe factos.

RVSTICI INFESTANT Turcas.

Confluebat ingens Ruſticorum manus qui Turcæ & Tranſyluano iuramento obſtricti fuerant, per Valaquiam aliiſq; in locis (intellexerant enim Vayuodam Tranſyluaniæ & Moldauos cum Imperatore Romano fœdus iniiſſe Tranſyluanumque iam tum contra Turcam in armis eſſe.) Hi ergo Turciam inuadentes tridui itinere à Conſtantinopoli aberant curruum camelorumque magnam copiam omnigeno commeatu onuſtorum rapiunt, præſertim quadraginta millia armentorum partim viuorum, parte ſale conditorum, quam prædam omnem in Vngariam auchere conſtituerant. Turcæ vero qui victualia ea deducebant, hoſtium iam ſecuri, nec quicquã ſiniſtri ſuſpicantes, ad vnum omnes deleti ſunt, præda rapta, & noſtris nullo impediente adueсta eſt: Affirmatur plus mille Turcas in eo conflictu occubuiſſe.

TARTARI CVIVSDAM confeſſio.

Supra commemorauimus, quomodo Turcæ in intenſiſſimo frigore Scythica in Inſulam aliaque vicina

loca inuaſerint, Chriſtianos miſere paſſim affligentes, quos cum armis reprimere tentatum eſſet, illi arrepta fuga cum præda euaſerint, ex quibus Tartarorum vnus retardatus remanſit, qui ſequentia confeſſus eſt. Primo enunciat, tametſi à Turcis in mandatis habeant, vt hybernam his oris ponant, ſpreto tamen eo, reditum, ſi modo ſaluum conductum habuiſſent, in patriam meditatos, ſiquidem prouincia ipſorum miſere depopulata deſolataque ſit. Cumque iam præmiſerint ſedecim millia ſuorum, eos à Tranſyluaniæ Duce pene deletos.

Adhæc Chanem Tartarorum prope Temeſvvarum cum reliquiis conſtitiſſe: apud Albam ſuorum, præter dictos, eſſe bis mille ducentos. In proxima direptione, quæ die Iouis accidit, fuiſſe trecentos Tartaros & centum Turcicos equites, eam præcipue ob cauſam miſſos, vt Rabum flumen perluſtrarent, ſi gelu ſatis acriter conſtiterit, & vbinam opportunior tranſitus eſſet. Quod propoſitum num à ſuis in actum ſit interea deductum, id ſibi minus eo conſtare, quod equo lapſante captus ſuos inſequi non potuerit. Et quantum ipſe intellexerit, conſtituiſſe nunc ſuos Rapauarum aggredi.

Nihil ſe certi poſſe affirmare de præſidiariis in Pappa, quod eadem nocte qua aduenisſet, ipſi diſcedēdum etiam fuiſſet. In munitione Iaurinenſi eſſe ad quindecim millia Turcarum præſidiariorum, quantum ipſe ex aliorum relatione habeat. Ad futurum ver aut nullos aut perpaucos Tartarorum in has oras militatum venturos. Si qui eorum adhuc in hiſce finibus ſint, eos iter ſuum, Agriam verſus dirigere, Turcas qui per mare ad bellum hoc profecti ſint, pedem omnes retuliſſe. Fertur cecidiſſe ex illis quadraginta millia equitum.

Sultanum cum Perſa fœdus iniiſſe quidem, verum poſteaquam Perſarum Regis filius, quem in Aula

Sulta-

Sultani Turcici habuerit, vita functus ſit, minus ſe affirmare poſſe num aliquid inde diſcordiarum ſit futurum necne. Similiter nec de Oripanis quicquam ſe affirmare poſſe, vtrum cum Turcis bellum gerere, ſeu pacem colere malint.

Referebat idem circiter nongentos Ianitſcharos ad Gomaram occubuiſſe. Quot eorum ad Iaurinum ceciderint, pro certo id ſe non ſcire, cecidiſſe tamen quotidie ducentos trecentoſve, nonnunquam quinquaginta ſaltem.

Eam vnicam cauſam fuiſſe, ob quam à Komara abſceſſerint, quod videlicet diutius ad tantam tamque munitiſſimam arcem ſubſiſtere ipſi Ianitſchari noluerint, ſatis animaduertentes, quotnam ex ipſis tantæ moli expugnandæ deberentur.

Quinque millia Chriſtianorum ad fines Sambrienſes erant, qui Tartaros operiebantur, hyberna ad Solnocam & Hadicanum locaturi. Præcipui Nobilium ante ferias ſe domum receperant. Chriſtiani medio fere menſe Ianuario VVaizam equis circumierunt deditionem poſtulantes, qua capta, Turcas & Mamelucas omnes in ea proſtrauerunt. Sex millia Chriſtianorum ex Scythica inſula profecti Turcicos agros infeſtarunt, vbi armenta complura, & clari nominis Turcas quoſdam rapuerunt. Similiter noſtri ad decimumſextum Ianuarii Viuarum egreſſi Datenſium agrum infeſtarunt, poſtero die viginti quatuor boues, & tres Turcas primarios Viuarum adducunt.

Decimooctauo eiuſdem menſis die Ouarienſes, fines Iaurinenſium ingrediuntur, in itinere quater mille Turcas obuios inuadunt, ducentos ex iis proſternentes, viginti quatuor viuos abripientes, quorum alios Piſonium, alios Ouuarum adducunt. Valaquii Si-

nanem tranſeuntem ad Taurinum ſiue Nandoralbam Conſtantinopolim verſus præſtolati, eos qui ipſum comitabantur omnes proſternunt, & prædam quam in Vngaria ceperat, ab eo recuperant. Sinan ipſe ægre ſibi fuga conſuluit. Valaquii vero ſecunda fortuna vſi progredientes, tres munitiones non poſtremas, Nicopolin, Ponteſam, Killam & Rebnyam armata manu capiunt, inuadentes ipſam Græciam, & ad Conſtantinopolin vſque fere pertingentes, aberant enim niſi viginti quatuor milliarea, vbi Præfectus Generalis Tranſyluanicæ militiæ Geſti Forentz cum copiis ſuis ad eos acceſſit, hoc itaque exercitu inſtructi, duodecim Tartarorum millia inuadunt, eoſq; internecione delent.

Adhæc conſtans rumor fuit filium iſtius Beglii, qui Petrinam in Croatia condidit, Chriſtianiſmo initiatum, duobuſque Camelis auro oneratis Agriam aduenisſe, quin Turcas quindecim qui in itinere cum remorari auſi fuerint, manu propria proſtrauiſſe, nondum tamen uſque adeo confirmatur, & certiora quotidie expectantur.

COMITIA PISONII IN VNgaria habita.

Eodem hoc menſe comitia Piſonij indicebantur, quo cum Sereniſſimus Archidux Matthias ad 29. Ianuarij diem aduentaret, haud multa moratus, nomine Imperatoris proponebat, vti præcipue conſultaretur, qua ratione Turcæ obuiam armis iretur.

FEBRVARIVS.

Cum initio Februarij flumina adhuc paſſim gelu acutiſſimo conſtitiſſent, Turcæ arrepta hac occaſione denuo Scythicam Inſulam infeſtant, vbi vicum quendam diripientes, quotquot in eo erant incolas omnes captos abripiunt. MOL-

MOLDAVI ET VALAQVII TVRCAS & Tartaros grauiter affligunt.

Hoc ipſo menſe certo refertur Moldauos & Valaquios ope Ducis Tranſyluaniæ numeroſum Turcarum & Tartarorum exercitum fudiſſe: poſteaquam enim Chan Tartarorum anno elapſo ex mandato Turcici Sultani conatus eſſet Moldauos & Valaquios rurſum ſub Turcarum iugum quibuscunque modis & viis omniq; robore ſuo collecto redigere, id propoſitum eius Vayuodæ Moldauorum Aaroni ſtatim relatum fuit. Quapropter ſubditos ſuos ocyus ad arma conuocat, concedens ipſis præter menſtrua ſtipendia, ſimul quæcunque rapto auferre poſſent. Vnde omnes vltro ad arma confluxerunt, & Tartaros vno impetu inuaſerunt. Qua ratione quoque Valaquiorum Vayuoda Michael arma contra Tartaros ſumpſit omneſque ſubditos ſuos vna cum liberis & vxoribus in Aaronis Vayuodæ commodum ad fines eius prouinciæ deduxit, qui paulatim recedentes, ac ſi Tartarorum ſæuitiam ſubterfugerent fugamque meditarentur, ſtratagemate facto magis magiſque hoſtem allicere conabantur, quo videlicet expeditius eum à tergo adoriri & in medio includere poſſent. Vbi ergo Moldauiam ferro & igne iam infeſtarent, Vayuoda Aaron collectis omnibus ſuis viribus ipſos adoriens, atque alacriter in eos pugnans tribus præliis diuerſis ad vnum vſque internecione delet, ac in fugam verſos tota ea ditione pellit, capta opima præda, quam ex Vngaria illi nuper reportarant, præcipue vero equos mille quingentos & currus aliquot ſclopetis muſcatariis onuſtos, vna cum vexillo primipilari: liberabantur etiam mille Chriſtiani capti, cadebant duodecim Tartarorum millia, plurimis vul-

neratis, inter quos filius erat Chanis Tartarorum, qui vulnere ſatis periculoſo accepto grauiter decumbebat.

Eandem hanc victoriam dictus modo Aaron vlterius proſequebatur, capitq; in ſui ſubſidium arces haſce munitiſſimas ad Danubium ſub Turcico Imperio ſitas, Bendarũ videlicet, Schinitum, Tignã, Mechnim & Abtiſſitam, quas ſuorũ præſidio munit. Occupat etiam totam prædiuitem illam prouinciam Bobragam, quæ à Danubio vſque ad montes Noha protenditur, & in longum latumque ſedecim miliaria patet verſus Pontum Euxinum, vna cum vexillis pluribus egregiis, in quibus Crux depicta erat. Quo peracto Incolæ ſtatim fœdus cum eo ineunt, ſigna Turcica diſcerpunt flammiſq; abſumunt, ſeq; cum Moldauis coniungunt.

Vayuoda Ianicula filius expulſi Vayuodæ Valaquienſis Ianiculæ Begtani apud Portam ſollicitauerat de certo Turcarum militantium numero, quos Tartaris coniungeret, velle enim ſe frigore tam acuto flumina paſſim acriter conſtringente, Valaquiam cum eo exercitu ingredi, Vayuodamque Michaelem inde expellere & prouinciam ipſam rurſus Portæ ſubditam & tributariam reddere. Qui cum voti compos eſſet iamque adiunctum haberet Hebrin Haſſanem Baſſam decẽ millia Turcarum equitum peditumque probe armatorum ducentem; Aaron Vayuoda ſimiliter ſuos in arma vocat, cui ſe ſedecim Coſſacorum millia coniunxerant: quibus inſtructus hoſtem in caſtris ad Scherpetram in Valaquia miliari vno à Danubio diſſitã, quinto Februarii die alacriter adoritur, eoque in fugam verſo, octo millia hoſtium fundit, capta ſimul præda egregia. Michal quoque Vayda haud ſegnior obſidet Neſter VVeiſenbur-

ſenburgum,vbi ſuburbium capit, diripit & flammis deuaſtat,animo ipſam quoque ciuitatem occupandi.

Geſta ea Aaron Vayuoda Moldauorum & Michael Valaquiorum ordine ad Principem Tranſyluaniæ perſcribunt, ſignificantes iuxtà quod hactenus hoſtem totius Danubii ripa pepuliſſent, occupatis omnibus iis quæ ſub poteſtate eius illic fuiſſent ad Albam vſq; Græcam, ſeque bona ſpe fulciri, ſi Tranſyluani copiæ acceſſiſſent (erant autem illæ ad decimumnonum Februarii diem expediendæ) fore vt breui non ſolum ipſam Albam græcam & finitimas Turcarum arces occupent, ſed & Conſtantinopolim vſque excurrant prædabundi, vbi ipſis bona ſpes eſſet miſeros illos Chriſtianos qui nomina ſua Turcarum fidei hactenus profeſſi eſſent, ſi tres illi exercitus Moldauiæ, Valaquiæ & Tranſyluaniæ nimirum expedirentur, cum ipſis ſocia arma in Turcas moturos eſſe.

Dum hæc geruntur, Rex Bohemiæ Pragæ comitia indicit, proponit Ordinibus regni, vt in medium conſulant, qua via expeditio hæc contra Turcam ſuſcepta ad finem perducenda ſit. Propoſitio tertio Februarii die hora pomeridiana prima facta fere in hanc ſententiam eſt.

In ingreſſu Maieſtas eius in memoriam illis reuocabat ea, de quibus ipſis Anno 1593. in Comitiis ſpem feciſſet, nimirũ, de ſpecialibus Comitiis indicẽdis, in quibus de priuatis regni illius negociis tractaretur, iiſque duobus mẽſibus elapſis à ſuæ Cæſareæ Maieſtatis reditu habendis; verum honeſte eam propoſitionẽ excuſabat, vt quæ hactenus hoc tempore tam periculoſo locum non habuiſſet; in poſterum tamen ſe gratificaturum illis in eo, atque hæc ipſa Comitia in duobus præcipue punctis

nunc

nunc verſari. Nempe in defenſione ordinanda & copiis auxiliaribus contra Turcam, bis mille videlicet peditum & quater mille equitum vere proximo in Vngariam mittendis: Sin vero Defenſio ordinanda, hac vice non poſſit abſolui, velint tamen pro rei vrgentis neceſſitate, quod poſtremum erat expedire, & vnanimi conſenſu de ope ferenda in hac neceſſitate decernere, quot millia equitum peditumue in Vngariam aut limitanea loca mittere poſſint. Quot item menſibus ſtipendia miſſis militibus ſuppeditare velint; addit inſtare tempus vernum, & interea de regni conſtitutione curandum.

Commemoratis præterea quæ hoſtis interim tentaſſet, commendat opem nuper ab ordinibus præſtitam: addit etiam à quibusnam Cæſarea Maieſtas in hoc bellum auxilia petierit, vtpote à Romano Pontifice, Hiſpano, Polono, Sueco & Moſcouita, quid item à Romano Imperio acceſſerit.

Eſſe etiam nuper confœderationem factam inter Imperatorem Romanorum & Tranſyluanos & Moldauos, quæ huic propoſito maxime inſeruiat. Quæcum enarrata eſſent, & vt propoſitio eſſet conciſior, offertur ordinibus libellus ſcriptus in quo ſingula fuſe tractata erant, admonentur ordines ſerio vt copiæ auxiliares ex veteranis militibus & ad minimum pars earum media ex exteris militibus conſcribantur, ne ſi modo euocati eſſent, nullo emolumento & cum periculo martem experiantur.

Item:

Sequentes lineas quinque incuria operariorum inſertas, lector beneuolus vti ocioſas tranſire velit.

Bendarum videlicet, Schinitum, Tignam, Mechnim & Abtiſſitã, quas ſuorũ præſidio munit. Occupat etiã totam prædiuitem illam prouinciam Bobragam, quæ à Danubio vſque ad montes Noha protenditur, & in longum latumque ſedecim miliaria patet verſus Pontum. Item: cum neceſſitas poſtulet, vt Komara foſſis & aggeribus melioribus fortificetur communiaturque: & in Inſula Scythica aliquot caſtella contra hoſtium incurſus conſtituenda ſint primo quoque tempore, vt in hoc etiam conueniant, quid quantumve nimirũ contribuere velint. Ad hęc propoſita ordines omnes fuere paratiſſimi, Boemi, Moraui, Sileſii, & Luſatii ſedecim millia equitũ peditumque propriis ſumptibus ad ſex menſes, vtpote à Kalendis Maij Anni 1595. computandos, in Vngaria contra Turcam in caſtris habere decernunt.

Boemi promittunt	equites Germanos	1000.
	Equites ſclopetarios Archibuſios	600.
	Pedites	1500.
	Sclopetarios muſcatarios	1000.
Moraui promittunt	Equites	1500.
	Pedites	2000.
Sileſii & Luſatii	Equites	2000.
	Pedites	3000.

Interea temporis Carolus Comes Mansfeldicus expeditionem in Vngariam vocatus ſuſcipit, conſcribit exercitum in inferiori Germania ex equitibus peditibuſque, quibus Præfectos alioſq; officiatos conſtituit. Adolphus Liber Baro in Schuuartzburg ducebat bis mille equites, partim cataphractos partim ſclopetarios. Monſ. le Coronell dans & Monſ. de Aſſicouet vterque bis mille Valones pedites ducebat. Monſ. Idoulx de la Bouelette & Monſ. de Mars ambo Magiſtri equitum,

 & quiſ-

& quiſq; eorum mille pedites ducens. Hans Leonhardt Von Jll/ Generalis procurator hoſpitiorum erat.

NVPTIÆ SIGISMVNDI PRINCIPIS Tranſyluaniæ & Annæ Chriſtinæ Auſtriacæ factæ 22. Feb.

Poſteaquam in confœderatione inter Sigiſmundum Bathorium Vayuodam Tranſyluaniæ & Romanorum Imperatorem cautum eſſet, vt Sigiſmundo nupta ex domo Auſtriaca cederet, id ipſum in actum quoque deducebatur, Anna Chriſtina Auſtrica deſponſata. Quare Ferdinandus & Maximilianus Archiduces Auſtriæ, atque Legati Tranſyluanici ſub veſperam 22. Februarii Græcij tempeſtiue comparent, vbi ſplendidiſſime excepti totum illud negocium totaliter definiuerunt. Poſtero die ipſa Dominica Sexageſima, vel ſecundum Kalendarium reſtitutum, Dominica lætare, Sponſa per Dominum Leibicium in templo aulæ publice & ſolenniter ad manus Legatorum Tranſyluanicorum qui vices Principis ſui Sigiſmundi obibant, traditur. Ambo Archiduces ſupradicti Ferdinandus videlicet & Maximilianus Sponſam hinc inde à latere comitabantur: Hoc peracto, cantabat chorus Litaniam, Te Deum, &c. & in congratulationis publicæ ſignum tormenta magna aliaque artificioſe ex igne parata per aerem diſploduntur, inſtituiturq; Epulum ſolemne longe magnificentiſſimum. Biduo poſt Legati Tranſyluanici venia petita diſceſſum adornant Tranſyluaniam repetentes. Interea Græcii de deducenda Sponſa, deq; Nuptiis in Tranſyluania celebrandis vario apparatu prouidetur.

MAR-

MARTIVS.

NOVA EXPEDITIO CONTRA Turcam.

Secundo die Martij Archidux Auſtriæ Matthias ex Comitiis Vngaricis Viennam aduenit, vt officia militaria pro exercitu diſponeret, diſtribueretque, qui quod hactenus parum feliciter in inferiori Vngaria militiæ præfuiſſet, Præfecturam generalem per ſuperiorem Vngariam nunc obibat, cui ſubiungitur Carolus Comes Mansfeldiæ, qui nuper ex Belgio venerat. Maximilianus Archidux Auſtriæ, frater Matthiæ Præfecturam generalem militiæ per Inferiorem Vngariam capit, cui Dn. Chriſtophorus à Teuffenbach ſubiungitur. Poſtquam Rodulphus II. Rom. Imperat. apud omnes Principes de auxiliaribus copiis mittendis ſollicitarat, totus exercitus deputatus in vnam ſummam colligebatur eo videlicet numero, quo ex Comitiorum Ratiſponenſium conuentione ad futurum ver ex publica contributione & extraordinarie contra Turcam mittendus alenduſque erat. Contribuit autem

Romanus Pontifex	1000 Equites, & pedites	12000.
Florentia	500	3000.
Ferraria		1500.
Mantua		1000.
Viterbium	500	
Tirolis		4000.
Bauaria		3000.
Boemia	2000	
Archibuſios	600	
Sileſij	1500	6000.
Luſatij	500	1000.

Auſtrii	2000	6000.
Vngari	500	1000.
Saxonia ſuperior	1200	
Inferior,	600	
Franconia	1000	
Sueuia		4000.
Nobilitas Sueuica, Rhenenſis & Franconica		4000.
Carolus Mansfeldiæ Comes Equites Cataphractos		1000.
Equites ſclopetarios	1000	
Valones pedites		6000.
Faciunt in vnam ſummam collecti Equites		13900.
Pedites		51500.

LEGATIO TVRCICA IN Poloniam miſſa.

Poſteaquam Sultanus Turcicus certior factus eſſet, Romanorum Imperatorem Rodulphum II. &c. non ſolum Legatos per ſuas hæreditarias prouincias & Regna, ſed & ad vicinos omnes & diſſita quidē regna miſiſſe. vt itaque & ipſe bello huic eo validior & inſtructior ad finem vſque adeſſe poſſit, ſimili via ſibi procedendū eſſe neceſſe duxit. Principio mittit duos primarios ex ſuis in Poloniam, qui de copiis auxiliaribus apud Regē ſollicitarent, quod ſi impetraret, vti tum de ſolutione ſtipendiorum ſufficienti fidem facerēt, ſignificarentq; Sultanum id officii cum omni gratia in futurū recompenſaturum.

Verum vbi Legati ad Vayuodam Valaquiæ veniſſent, accepti ab ipſo Vayuoda humaniſſime & in palatium quoddam magnificum deducti ſunt, vbi de variis rebus cum ipſis communicaret, in quo dum agerent

vna,

vna, ecce irrumpunt Satellites dicti Vayuodæ ingenti furore perciti, proſternunt ſimul vtrunque Legatum, hinc in reliquos Turcas comites & famulos Legatorum feruntur, omneſque fruſtulatim concidunt, erant autem illorum centum quadraginta, ita vt Legatio hæc parum fortunata abſque vllo fructu interciderit.

Sed Turcarum tamen Imperator nihilo ſecius in propoſito ſuo perrexit, aliamque denuo legationem miſit, quæ ſuperiora mandata exequeretur, & ea quidem Mogillæ proſpere appulit.

SINAN BASSA AD PORTAM CONſtantinopolitanam vocatur, in cuius locum Ferathes Baſſa in Vngariam miſſus ſufficitur.

SVb finem hyemis præteritæ, vbi Tartari in reditu ſuo paſſim ab exercitu Tranſyluanico Moldauo & Valaquio magnis prælijs fuſi, & caſtella quædã Turcica vi capta eſſent, ita vt fortuna minus à Turcarum partibus ſtare manifeſte appareret, Mahometes III. Turcarum Imperator Sinanem Baſſam hucuſque generalem militiæ Turcicæ per Vngariam Præfectum ad Aulam Conſtantinopolitanam vocari fecit, vel vt cum eo de belli huius grauaminibus rebuſque aliis neceſſariis communicaret, vel vt aliud quiddam arduum per eum conficeret.

In cuius locum Baſſa Ferathes qui antehac generalem militiæ Præfecturam in Perſia obierat, reſque grauiſſimas feliciter ibi expediuerat, in Vngariam tanquam Veziremen & præfectus eius belli generalis cum exercitu mittitur.

Is itaque menſe Martio Conſtantinopoli diſcedit, iterq; ad Albam Græcam dirigit.

SOPHIA OPPIDVM PER ARMENtarios expugnatum diripitur.

Paulo antequam Ferathes Baſſa expediretur Conſtantinopoli, in Bulgaria circiter bis mille armentarij conſpirarunt facto cum Gliribus fœdere, de Ciuitate Sophia (quæ ad quatuordecim miliaria cis Conſtantinopolim ſita eſt, & teſte Carione in Chronicis olim ſedes fuit Imperialium Præfectorum equitum in Europa) occupanda diripiendaque. Quibus cum ea vice nihil obſtaret, quod à propoſito ipſos arceret, ſiquidem ſuum illud propoſitum ſumma feſtinatione vrgerent & eo ipſo tempore Haſſan Baſſa magna ſtrage, præter Tartarorum cladem, fuſus eſſet, iamque Conſtantinopoli ſolum id agerent, vt probe inſtructum exercitum in Vngariam expedirent, nihilque minus quam de tali impreſſione cogitarent, ecce inſtitutum hoc audaciſſimum proſperrimo ſucceſſu proſecuti ſunt. Capta itaque iam vrbe, videntes ſe inferiores quam qui armis eam defenderent, diripiunt eam & mature ſe in tutum recipiunt. Prædam poſtmodum inter ſe diſtribuunt, & ceſſerunt ſingulis circiter trecenti ſcutati aurei.

CASTELLA PER VALAQVIAM ET vicina loca Turcis vi erepta.

Tartaris iam tribus diuerſis præliis fuſis, & eo anguſtiarum adactis, vt vxores ipſorum proprios liberos flammis torrere & manducare cogerentur, quo nimirum tali exemplo in poſterũ ab eiusmodi expeditione contra Chriſtianos abſterrerentur, adhæc poſtquam ex omni ipſorum exercitu qui ad octoginta quinque millia con-

lia continebat, vix octo millia domum remeaſſent; noſtri ope & conſilio ſtrenui & generoſi Herois atque Principis Michaelis Vayuodæ Valachij non ſolum hoſtium quibuſcunque modis poſſent conatus reprimere, ſed & nunc hoc nunc illud caſtellum hoſti aperto marte eripere aggreſſi ſunt, & diuino auxilio propriaq; virtute confiſi non ita multo tempore poſt ſupra memorata caſtella occupata ceperunt Ciuitatem Siliſtriā, eamque funditus igne abſumpſerunt, capta præda immenſa fere, attamē cum ea vice nullis tormentis maioribus eſſent inſtructi, arcem non potuerunt expugnare, quam Turcis relinquere neceſſe erat.

Inde Schmilam perrexerunt, quod oppidum vna cum arce expugnarunt, in ea ceperunt ſeptendecim tormenta magna, duobus ex illis inſcripta erant Inſignia & Nomina Ferdinandi Imperatoris, & aliis item duobus Ioannis Hunniadis, ea poſtmodo Tranſyluaniæ Duci honorarij loco miſſa ſunt. Munitionem bis mille præſidiariis Valaquiis firmarunt.

Hoc peracto Oroſigkam venerūt, vbi egregius eſt portus maris, qui non iniuria Turcarum granarium dici potuit, ſiquidem eo omnia comportantur, quæcunque Sultani Turcici coemptores paſſim conquirunt, vtpote mel, butyrum, adeps aliuſque commeatus quicunque fuerit. Proinde capta ea vrbe tantum mellis & adipis noſtri acceperunt quantum octingentis hominibus integrum annum alendis ſufficeret.

Porro Kilecam, Galempo, & Prayllam noſtri occuparunt, obſeſſa Praylla ad aliquot menſes, quòd à Turcis ter mille defenderetur, quæ & ipſa tandem in noſtrorum

noſtrorum poteſtatem deditione venit, conceſſa veniæ præſidiariis. Verum vbi patuit, quòd Turcæ illi aurum argentumq; in panis maſſas quas in abitu ſecum auferre cogitabant, doloſe pinſiſſent, male ab armētariis noſtris excepti ſunt. Præterea caſtellum firmiſſimum S. Georgii à commeatu inſtructiſſimum expugnatum à noſtris fuit. Laganoca locus munitiſſimus per dies viginti obſeſſa.

VTRIVSQVE TVM SAXONICI TVM Brandenburgici Electoris Commiſſariorum apparatus bellicus contra Turcas in Polonia.

VBi iam vterq; Elector tam Saxonicus quā Brandenburgicus certior eſſet de expeditione Turcæ ad æſtatem proximam, & quanto feruore is rem gereret, adhæc de diligentia & ſollicitudine qua Cæſarea Maieſtas in defenſione vteretur, præſertim de confœderatione multorum exterorum principum & regnorum, præſertim quod eius Maieſtas per Legatos ſuos Poloniæ regem de auxilio ferendo Chriſtianis ſollicitaſſet, neceſſarium eſſe vt & ipſi ſuos Oratores ad eundem Poloniæ regem mitterent, prudenter iudicauerunt. Cui negocio Doct. Ioannes de Koſlitz, D. Ioan. Benkendorff in VVardino, Doct. Nicolaus Reuſnerus, & Doct. Chriſtophorus Bronckendorff deputantur. Hi ergo ad decimum ſeptimum Martij diem Orationem Latinam nomine Principum Electorum in Comitiis Cracouienſibus habuerunt, qua Regiæ Polonorum Maieſtati perſuadere conabantur, vt volens Cæſareæ Maieſtati & oppreſſæ Vngariæ ſuccurreret, vti videre eſt in Oratione illa publice edita.

FERA-

FERATHES BASSA AD BELLUM expeditur, & de ejus fortuna.

In principio Aprilis, dum Ferathes Baſſa jam ſexaginta millia in caſtris haberet inſtructus triginta tribus tormentis magnis & diſpoſitis expanſisq; tentoriis ut expeditionem in Ungariam ſuſciperet, ecce noctu funes quotquot ad tentoria expanſa erant clam inciduntur, & tormenta ea plæraque clavis impactis corrumpuntur: cujus facti alii Cigalam, quod ab officio ſuo eſſet remotus, alii Genitzaros quod illi ipſummet Sultanum potius, quam Ferathem Baſſam ſequi maluiſſent, authores inſimulabant.

Aprilis, Anno 1595.

ARMENTARIORUM MAGNIFIcentia, & ſumma annonæ vilitas.

SExto Aprilis ex Tranſylvania ſcribitur, Turcas qui per Moldaviam & Valaquiam paſſim habitarunt, noctu & ope Tranſylvanorum ab incolis Chriſtianis reſiduis oppreſſos & occiſos eſſe. Ex quo facto & memorabili illa cæde, quam Tartari & Turcæ vere proxime elapſo paſſi ſunt, tanta annonæ vilitas inter Armentarios (ſunt autem illi homines nudi, bubulci crudis tergoribus boum calceati) oborta eſt, ut innumeri greges boum, vaccarum, vitulorumque pro centum Joachimicis venales proſtarent, quin Galeris ex precioſiſſimis pellibus, qui raro aut nunquam armentariorum ſed divitum ſolummodo ornamenta ſunt, tecti magnifice incedebant.

Ff Dn.

Dn. PALFIUS AGRUM BUDENſem infeſtat.

Poſteaquam Dn. Palfius duodecimo Aprilis certior factus eſſet, Turcas Budenſes ſtrenue expeditionem vrgere, jamq; tormenta majora ſuis locis diſpoſuiſſe, quoſdam ſuorum emiſit, qui ipſos incurſarent, quod ob eam maxime cauſam faciebat, ut quid animi haberent, quidve molirentur, plenius cognoſceret.

Poſtridie ubi ſuos ſalvos redire, captis quinque Genitzaris & capite vno truncato vidiſſet, captos examinari jubet, qui vno ore confitebantur, Turcas jam ad prælia & oppugnationes eſſe inſtructos. Nec multo tẽpore poſt ubi percepiſſet, Beglerbeglium Græcæ cum reliquiis Tartarorum Neuheuſel caſtellum petere velle, neceſſarium duxit, ut omnia quæ hoſti propulſando adeſſe decet, in promptu ibi forent; quare ipſemet ſuſcepto itinere eo proficiſcitur, & de firmo ſatis pręſidio aliiſq; neceſſariis ſedulo & mature illic diſponit.

TURCARUM STRAGES PROPE Temeſwarũ Duce Geſti Ferens militię Tranſylvanicæ Præfecto edita.

Poſteaquam Sultanus Legatum ad Budenſes miſiſſet, qui cunctis ſimul arma capeſſenda indiceret, & ſi quis mandato huic minus pareret, ut is abſque ulla venia haſta transfigeretur, uxore & liberis ejuſdem in exilium ejectis aut flumine ſubmerſis: adhæc cum Temeſuuari jam juſta multitudo Turcarum confluxiſſet, animo Tranſylvanum aperto marte aggrediendi: Beglius itaque Budenſis copias ſuas, & eos qui Temeſuuari cõvene-

venerant,in aciem deducit,jamq; in Tranſylvanũ movet;id Geſti Ferens Strenuus ille & magnanimus Heros atq; militiæ ſub Tranſylvaniæ Duce Præfectus animadvertens,tanta cum alacritate illi obviam procedit atq; arma contra fert,ut pauci admodum ex hoſtium agmine evaſerint:quin ipſe Beglius graviſſime vulneratus,in itinere dum à ſuis domum veheretur animam efflavit.Hæc itaq; Victoria adeo memorabilis, Divina ope affulgente,denuo à Chriſtianorum partibus ſtetit. Dn.Præfectus de manubiis vexilla duo,tympana militaria tria & capita truncata complura,pro more nationis ejus Duci ſuo Sigiſmundo Tranſylvaniæ Principi miſit.

Ianuarius, Anno 1596.

PRimo Januarii, Anno 1596. literis Strigonio ad nos perlatum eſt,ante menſes pauculos, Octavo videlicet Octob.die,tria Valonum millia,ac quinq; Germanorum millia,cum Heiduccis & armentariis aliquot alios| à Præfecto Strigonienſi excurſionem ſibi uti Budam verſus facere permitteret,petiiſſe,facileque, cum Turcæ in itinere jam eſſe, & Jaurinum commeatu ſublevare velle dicerentur, obtinuiſſe. Inſtructa igitur acie, cum inter Sancti Andreæ caſtrum & Sicambriam, Turcas adventantes præſtolarētur,ſeptem eorum millia, cum curribus,commeatu & munitionibus variis onuſtis plurimis,in occurſum ſibi tēdere viderunt : prælio itaq; eos acri adorti ſunt. Ceciderunt utrinq; non pauci,ſed noſtri tamen tandem Turcas in medio concludentes & corona quaſi cingentes,ad unum om̃es trucidarunt. Commeatus Iauriñenſium à noſtris intercept⁹.

Impetrata victoria, aliquot ex noſtris, animoſiores facti, aſſumpto, quem ab interfectis Turcis obtinuerãt, habitu, ſignisq; ſuis, devictorum inſtar in terram demiſſis, Turcicis vero erectis & explicatis, Budã verſus, cõcitato admodum curſu, ac ſi ab inſequentibus hoſtibus fugati elaberentur, progreſſi ſunt, eo fine & animo, ut dum Turcas ſeſe fugatos ſimularent, portam Civitatis inſigni ſtratagemate occuparent. Verum eventus conſilio non reſpondit. Budenſes enim adventantes hoſce Turcas mirati, ad portam ſtatim Sicambrienſem magno numero confluunt, noſtroſq; idiomate Turcico de mœnibus urbis compellant, cur tam ſubito ad urbem reverſi eſſent, rogantes. Cum igitur noſtri non ita congrue & expedite in lingua Turcica reſpondere poſſent, Budenſes dolum ſubodorati, & ſiniſtri quid ſuſpicati, edixerunt illis, ut ocyus inde recederẽt, cumq; dicto nõ ſtatim audientes, contra urgerent, ad tormenta majora converſi, haud parum ipſis damni intulerunt: tametſi duo ſaltem globi funeſti eſſent. Recedere igitur coacti noſtri, cum præda admodum opima, occupato commeatu, & captivis aliquot Turcis primariis Strigoniũ reverſi ſunt, magno cum deſiderio, dum Budenſes Cõmeatum alium Jaurinum vehere intenderent, expectantes. ex captivorum enim confeſſione didicerant, ni Jaurinenſibus mature ſubveniretur, non poſſe eos munitioni diutius præeſſe, unde ſpes optima ipſis affulſit, fore, ut ſi commeatum Jaurinenſibus iterum intercipere poſſent, extrema neceſſitate compulſi, deditionẽ faciant.

Commeatus Jaurinenſium

Interim, cum ad Vezirem Baſſam, de memorabili illa ſtrage, & intercepto inter S. Andreæ caſtrum & Sicam-

cambriam commeatu, delatus nuncius eſſet, de copiis ſuis ad Tergoviſtam colligendis, & commeatu ante futuram hyemem Jaurinenſibus afferendo cogitare ſedulo cœpit. At cum id Tranſylvaniæ principi innotuiſſet, omne ſuum robur cõtra Vezirem ſtatim inſtruit, qui adventum ejus minime expectandum ratus, Haſſane Baſſa & Michaele Torofski Waiwoda quodam perfuga cum quater mille militibus in munitione ſua relictis, fuga ſibi conſuluit. Cæterum Turcæ reliqui, qui prædatum exierant, noctu reverſi, priſtina ſua caſtra repetierunt, quos ubi noſtri è longinquo conſpicati eſſent, pariter omnes conticuerunt, donec propius aliquanto accederent, tum vero uno impetu eos aggreſſi, pleroſq; trucidarunt, & fugatis omnibus, prædam ex armentis alioq; apparatu locupletiſſimam reportarunt. Unde Sinan Baſſa adeo cõſternatus eſt, ut ad omnes p̃fectos, qui in locis minus munitis erant, literas dederit, eoſq; uti fuga ſibi conſulerent hortatus ſit. — *ſecundo intercept'.*

Eodem hoc tempore Palfius & Tertskius in Turcarum quandam cohortem caſu incidentes, quadringentis fere trucidatis, fugientes ad Vaccium uſq; proſecuti, indeq; cum multa præda Strigoniũ reverſi ſunt. Sed & Vicegradum, multas pecudes intulerunt. — *Chriſtiani Turcis damnũ infe-runt.*

Menſe Aprili Strigonio Totiſam verſus excurrentes Boves Turcarum in paſcuis conſtitutos occuparũt, Turciſq; non paucis interfectis Janitſarorum ad Totiſam præfectum captivum ſecum Strigonium traduxerunt.

Eodem menſe centeni aliquot Chriſtianorum milites Lippa egreſſi, in Tartarorum & Turcarum cohortes non procul à Botſchio inciderunt, illiſq; fuſis & fu-

gatis, prædam ſatis opimam nacti ſunt, verum ab inſidiis Turcicis paulo poſt oppreſſi, maximaq; parte cæſi occubuerunt.

Palfius porro cum trecentis militibus, Turcarum ſexcentos fere à tergo aggreſſus, in fugam conjecit, ducentiſq; trucidatis, quinq; & inter eos Agam quendam primarium, captivos ſecum, octodecim tantum ex ſuis amiſſis, abduxit.

Sub Maii initium milites quidam Strigonio erumpentes, multos Turcas Belgradienſes occiderunt, ſex primarios Strigonium ſecum captivos abducentes.

Sed & Heiduccorum Agrienſium ducenti, facta excurſione, centum equos Tartaricos, quadraginta cæſorum capita & vivos aliquot Turcas captivos abduxerunt, in quorum numero ſubpræfectus Solnoccenſis erat, qui vitam ſuam quatuor millibus Ducatorum redimere coactus eſt.

Menſe Junio Turcæ ad Lugatſiam, armenta & homines non paucos abduxerunt, verum cum id militibus præſidiariis innotuiſſet, illi Lugatſia ſimul Lippaq; erumpentes, hoſtes perſecuti ſunt, fuſiſq; tribus ferę Tartarorũ millibus, inter quos Themeſvarienſis quoque Baſſa, glande plumbea trajectus periit, ſpolia omnia recuperarunt.

Tslanoda à Tranſylvanis occupata.

Eodem hoc tempore Tranſylvaniæ princeps, expugnato Fallaco, Tſlanodam verſus progreſſus eſt, oppidumq; illud, licet ſatis firmum & munitum eſſet, occupat, diripit, accẽdit, funditꝰq; delet. Inde Temeſcũm obſidet, tormentiſq; muralibus, ad irruptionem ſibi aditum patefecit. Turcæ vero Tartarique, ut irruptionem caverent, caſtra variis locis, ſed fruſtra aggreſſi ſunt,

ſunt, à Tranſylvanis enim tam fortiter ipſis repugnatum eſt, ut amiſſis aliquot millibus pedem tandem retrahere coacti ſint.

Agrienſes interea milites prope Solnocam, tabellarium quendam Turcicum ducentorum millium Joachimicorum ſummam, qua præſidiariis in Hatuan & Solnock ſatisfieret, ferentem, deprehendentes, eum una cum pecunia interceptum abduxerunt.

Sub finem Junii militum Palficorum duo millia fere, cū ſedecim navigiis egreſſi in duas triremes Turcicas prope Vaccium conſtitutas impetum fecerunt, tantoque impetu oppugnarunt, ut qui in eis erant, omnes fere in aquam ſe præcipites dederint, quo facto milites illi, vaſa multa argentea aureaque una cum vexillis aliquot aureis literis ornatis occuparunt, & trecentos fere Chriſtianos, qui in triremibus illis captivi tenebantur, in libertatem aſſeruerunt.

Vaccium interea ſumma vi expugnatum, direptum & ad monaſterium uſque exuſtum eſt. Propugnaculo tamen, propter hoſtium reluctationem maximam potiri noſtri non potuerunt. *Vaccium à noſtris exuſtum.*

Die 23. Julii, Maximilianus Archidux Vienna in Hungariam, cum quadringentis Francis equitibus, & aliquot Valonum vexillis, profectus eſt.

Quarto Auguſti die Princeps ille, generalis militię per Hungariam Dux conſtitutus, cum quatuor millibus in caſtra advenit.

Equites Caniſienſes Dravum trajicientes, ad Peſtovicum, armenta equoſque, una cum viginti Turcis cōprehendunt & in poteſtatem Chriſtianorum redigunt. Turcarum vero Danubium trajicientium quingen-



genti, à ductis Tranſylvanicis militibus in fugam verſi, ducentos fere undis ſubmerſos deſiderarunt.

Decimo Auguſti Palfius 102. Turcas inter quos duo Agæ fuerunt, prope Vaccium trucidavit, ſed & octo navigia noſtri occuparunt, & Turcas, qui in eis reperiebantur, centum & quinquaginta numero, trucidarunt.

Tertio die poſt Archidux Maximilianus cum Diefen-

ſenbachio & Palſio, ad Hatuam applicantes, tribus caſtris propugnaculum obſederunt. Et principio quidem, munimenta vel ſepimenta potius lignea ſucciderunt, poſtea munitiones & caſtra excitarunt, quique Hatua à noſtris expugnata.



ſub Terskio militabant eo uſque progreſſi ſunt, ut aquam ex propugnaculi foſſa per canales evocare & elicere aliquo modo potuerint, oppidumq; viginti tor-

mentis concutere ex quatuor ſimul locis cœperunt. Accidit autē 20. Auguſti die, ut Job Hartman, à Trautmanſtorff, caſtra obequitando perluſtraret, cumq; tormentum aliquod promovendum & collocandum eſſet, ſub rotam forte concidens comminueretur.

Biduo poſt ducenti circiter Turcæ oppido erumpētes, præter alios, Greiſſium etiam præfectum trucidarunt.

Vigeſimo quinto die Sacrificus quidam Turcicus in turrim aſcendens, Hala, Hala, Hala, more ſuo barbarico clamabat, quod cum tormentarius quidam vidiſſet, directo in turrim tormento, eam una cum ſacrifico disjecit atq; diſſipavit.

Eodem tempore Chriſtiani, commiſſa ad Vaccium cum Turcis pugna, ducentos trucidarunt, quinquaginta, inter quos Bega quidam fuit, in captivitatem abductis.

Secundo Septembris, Chriſtiani de Archiducis Maximiliani mandato, ignitos in Hatuam globos vibrarunt, unde incendium in oppido ingens excitatum eſt, quod vix magno cum labore & vitæ periculo extinguere Turcæ valuerunt, qui videntes tanto conatu & robore Chriſtianos obſidionem illam urgere ut à tormentis nulla ratione abſtinerent, decedendi ſibi cū uxoribus & bonis omnibus poteſtatem fieri petierūt. Verum à noſtris reſponſum ipſis nihil eſt, erat enim eis, ne quid cum Turcis loquerentur, ſub pœna capitis interdictum ſerio, cumq; de tormentorum diſploſione, & ignitorū̄ globorum in oppidum contorſione, nihil quicquam noſtri remitterent, tantus inter mulieres & juvenilem turbam ejulatus, ut in caſtris Chriſtianorum exaudiretur, extitit. Ter-

Tertio Septembris die, inſultationem quatuor ſimul locis noſtri fecerunt, cumq; Turcæ magna ipſis alacritate reſiſterent, ad ſeptem horas inſultatio iſta cõtinuata eſt. Veſperi vero inter quintam & ſextam horã, propugnaculum ipſum ex globis ardentibus accenſum eſt, itaq; hoc viſo, Chriſtiani urgere irruptionem magis magiſque cæperunt, donec Terskius cum vexillo ſuo primus ſeſe in muro oſtẽtaret. Tum enim veſtigiis ejus inſiſtentes etiam alii propugnaculum armata manu expugnarunt, obvium quemq;, præter paucos quoſdam trucidantes. Ceciderunt tum ex noſtra parte trecenti plus minus, Turcarum vero quatuor millia, ut ita conjectura quis aſſequi facile poſſit noſtros, tametſi incendio res precioſæ plurimæ perierit, inſigni tamen præda ibi potitos eſſe.


Eodem tempore mille & trecenti Heiducci in oppidum quoddam Baba dictum irruentes, tantum prædæ acquiſiverunt, ut centum & quinquaginta currus eo onerarint, & Turcas ſimul non paucos inprimis vero mulieres & infantes in captivitatem vivos abduxerint. Die 15. Septemb. horribilis admodum multis tonitruis & coruſcationibus tempeſtas juxta Vaccium extitit, multoſq; in ſtuporem convertit, cum prçſertim terræmotus etiam aliquis eam ſequeretur.

Petrina à Turcis obſeſſa ſublevatur.

Turcæ interea Petrinenſe propugnaculum obſidione firmiſſima cinxerant Hoc audito, Lenkowitſius ſtatim & Sigiſmundus ab Herberſtein, illud ſublevaturi contenderunt, cumq; habita deliberatione, Culpam trajicere niterentur, & Parti Baſſa id animadverteret, Chriſtianos relicto propugnaculo fugam arripuiſſe exiſtimans, cum trib. millibus eos inſecutus eſt. At Chri-

ſtiani in eos acrius quam putarant inſurgentes, trecentis & amplius aqua ſuffocatis, multisq; inſuper contrucidatis, fuga uti ſibi proſpicerent facile effecerũt. Hinc ad propugnaculum recta progreſſi, hoſte poſt pugnam non parum cruentam, in fugam verſo, non illud ſolum obſidione liberarunt, ſed & tormenta plurima, & opima admodum ſpolia inde reportarunt.

Poſteaquam Maximilianus Archidux, ad 22. Septẽbris diem iter Vivarem verſus ingredi conſtituiſſet, de



novis

novis Turcarum molitionibus nuncium accepit, quod nimirum cum magna manu Agriam obſidione cinxiſſent, datis igitur ad Tranſylvaniæ Principem literis ut abſq; mora, cum quindecim armatorum millibus advolet, imperat, quo Agrienſibus ſubſidium mature feratur. Interea vero dum Principem illum Archidux expectat, Turcæ tanta caſtellum vi oppugnant, ut decima tertia inſultatione eo potirentur. Chriſtiani tamen propugnaculo ſequenti die erumpentes, caſtellū non ſine magno Turcarum damno recuperant. Cum autem Turcæ viderent ſe oppugnationibus & tormentorum diſploſionibus parum profecturos, foſſam, quæ inter propugnaculum & vineam eſt, terra opplere cœperunt. Chriſtiani vero propugnaculo iterum erumpētes Ibrahimum Vetzirem Baſſam, in fugam cum ſuis verterunt.

Decimo Octobris Turcæ inſultationem quinquies repetentes, arcem veterem, (cum ignis forte in pulverem tormentarium Chriſtianorum delapſus eſſet) octingentis fere qui in ea fuerant militibus trucidatis, occuparunt. Inde ad cuniculos cōverſi, propugnaculū pulvere tormentario diſturbare conati ſunt, quod cum Chriſtiani milites, maxime vero Valones animadverterent, obedientiam debitam præfectis detrectantes, ad Turcas clam profugerūt, & religionem eorum amplexi ſunt Cæteri vero facinus illud execrantes, deditionem ſe facturos, ſi armatis ſibi decedere, & quantū poſſent auferre permitteretur, aperte profeſſi ſunt Cūque Turcis ita expetentibus, Paulum Niarium, Terſkium item præfectos cum Collerano Capitaneo, & juniore Kinskio, obſides dediſſent, decimotertio Octo-

 bris

bris die, 2000. numero, inde egreſſi, propugnaculum Turcis reliquerunt. Non ſteterunt autem promiſſis Turcæ, ſed in itinere cum non ita procul adhuc à propugnaculo abeſſent, aſſumptis multis Tartaris impetum in eos fecerunt boniſq; & veſtimentis exutos, miſere occiderunt. Quod facinus tamen contra datam fidem commiſſum, non omnibus ex ęquo placuiſſe dicitur.

Tametſi vero Agria amiſſa eſſet, priusquam Tranſylvaniæ princeps copias ſuas cum Maximiliani exercitu conjungeret, ſimulatq; tamen conveniſſent, prælio cum hoſte concertare decreverunt, itaq; cum ſexaginta armatorum millibus progreſſi, 23. Octob die. juxta pagum quendam incendio deſolatum, Kereſtes nomine, caſtrametati ſunt, centum & viginti tormenta mediocria ſecum adducentes, eo fine, ut prælium cũ hoſte committerent, cui triginta tria tormenta & duo vexilla prætoria, paulo poſt eripuerunt, Turcis trucidatis quamplurimis. Die 25. Octob. ſummo diluculo Turcæ cum tormentis aliis advenientes, aciem ſtatim, quemadmodum & Chriſtiani inſtruxerunt. Ut ad pugnam autem ventum eſt, Chriſtiani ſuperiores, Turcas in fugam, tormentis eorũ occupatis omnibus, conjecerunt. Ex parte Chriſtianorum Dietmarus à Königsberg/magno tormento percuſſus occubuit. Sequenti autem 26 Octob. die Chriſtiani hoſtem iterum aggreſſi ſunt, in quo quidem conflictu Holſatiæ Dux Auguſtus occubuit Chriſtiani nihilominus tormenta hoſtibus tum etiam eripuerunt, eoſq; ad tentoria Sultani uſque perſecuti ſunt. Cum autem Hungari & Valones, quemadmodum & Germani plurimi, ad prędam nimis

matu-

mature ſtudium ſuum convertentes, ſtationem quiſq; ſuam deſererent & ordinem diſturbarent, centurio quidam Turcicus cui tentoriorum demandata cura erat, cum ducentis Janitſaris, eos opprimẽs, ſtragẽ haud mediocrem edidit. Occubuerunt enim tum Erneſtus Holſatiæ Princeps, Wenceſlaus Poppel, Petrus Peski & Præfecti quidam alii cum 40. nobilibus. Ex parte Turcarum tamen multo plures hiſce præliis trucidati ſunt, loco enim quo pugna cõmiſſa fuerat, decem millia, in itinere vero quod fugientes ingreſſi erant, circiter viginti defunctorum millia numerata ſunt.

Anno 1597.

OCtavo Martii milites Botſcai cum Heiduccis Lipenſibus ad Hallacum applicarunt. Turcæ igitur, cum pauci initio milites ſe videndos darent, facile eos ſuperari poſſe putantes, propugnaculo egreſſi ſunt. Atqui ſupervenientes Heiducci ad Caſtellum uſque eos perſecuti ſunt, faciliq; illud negotio expugnarunt. Hoc facto vicum Tſanat diripuerunt, & opimis tandem ſpoliis onuſti ad ſuos reverſi ſunt. Hallacum à Chriſtianis recuperatum.

Eodem hoc menſe Sigiſmundus Guthſichius, excurſione in Cataram facta, innumeras variorum pecorum greges Turcis eripuit.

Sexto Maii die Chriſtiani prope Strigonium in currus quoſdam commeatu vario onuſtos Budam transferendos inciderunt, trucidatiſq; trecentis fere Turcis, & tribus tormentis vulgaribus interceptis, Baſſam cũ reliquo exercitu Budam verſus perſecuti ſunt.

Eandem fortunã etiam Jaurinenſes Turcæ tum experti ſunt, q dum cõvehendo cõmeatui darent operã, à no-

à noſtris varie cæſi & profligati ſunt. Porro centum & quinquaginta Heiducci inita ſocietate, in Gepelam inſulam irrumpunt & obvium quemq; occidunt, quod cum ad Baſſam Budenſem relatum eſſet, cum mille & ducentis armatis, auxilium inſulanis laturus advenit. Verum Heiducci confœderationis ſuæ memores, tanto eos fervore reprimunt, ut non pauci undis obruerentur, multi vero, qui navigia aſſequi nō ſtatim poterant interficerentur.

Sub decimum Maii, Chriſtiani Strigonio excurſionem Budam verſus fecerunt, id cum Baſſa Budēſis cognoviſſet, in occurſum illis cum còpiis ſuis contendit, qui divino adjuti auxilio mille fere Turcas trucidarunt.

Similiter & Palfii milites BeglerBeglium Græciæ aggreſſi trecentos proſternunt, ſexaginta captivos abducunt, Chriſtianos captivos non paucos in libertatē aſſerunt, & ſpolia ſatis ampla domum reportant.

Aliqui ex Gomorrha & Vivaria, irruptione in Feuldualiam, quod octo miliaribus Hungaricis à Buda diſtans oppidulum eſt, facta, Turcas complures cædunt, viginti & unum captivos abducunt, & multos equos abigunt.

Tottiſia à Chriſtian. occupata & iterum amiſſa.

Duodecimo hujus, Joannes Bernſteinius à Palfio adjutus, Tottiſiam, quæ Anno 1594. in Turcarum poteſtatem tranſierat, noctu invaſit & expugnavit, verum diu poſſidere non potuit, ſed Turcis paulo poſt iterum relinquere coactus eſt.

Sub initium Junii Chriſtiani quidam, Strigonio Budam verſus excurrentes, in Turcas Buda egreſſos inciderunt, commiſſaq; pugna ſexaginta captivos acceperunt,



runt, & feliciter in propugnaculum ſuum ſecum traduxerunt.

Sed & quingentas oves ante portam Budenſem in paſcuis verſantes, milites centum & quinquaginta, clã aduentantes abegerunt.

Decimoquarto Junii, Chriſtiani Caloa erumpentes ducentos Turcas offendunt, multos trucidant, & 78. cum tribus vexillis captivos abducunt. Ex parte autem Chriſtianorum tantum quinq; ceciderunt.

Die 20. Junii, Heiducci, in caſtra Tartarorum irrumpentes, multas pecudes, boveſq; & equos plurimos abducunt.

Sed & 225. Chriſtiani hoc tempore in prædam egreſſi, Tartarorum Turcarumq; ſexaginta proſternunt, reliqui in fugam verſi caſtra deſerunt, unde opima ad Chriſtianos ſpolia, veſtimenta nempe, pecunia & equi cum multis pecoribus aliis pervenerunt. Quamvis autem Bega Sigethanus, auxilio Turcis veniret, tandem tamen tergum vertere relictis poſt ſe vexillis, coactus eſt.

Pappa à noſtris expugnata.

Nono Auguſti, tanto fervore Pappam Archidux invadit, ut circa ſecundam pomeridianam oppido poti-retur. Poſtquam autem Chriſtiani propugnaculum, centum & ſexaginta Turcis inde decedentibus, ingreſſi eſſent, ingens ſubito incendium in eo exortum, decem tormentarii pulveris cados corripuit, unde ducēti milites una cum præfecto ab Hoffkirchen in aerem diſſipati, perierunt, rotunda vero turris & arx ipſa una cū armamentario, valde admodum diſtracta eſt. Tormenta autem 27. in propugnaculo inventa.

Jaurinum à noſtris fruſtra obſeſſum.

Menſe Septembri Archidux Maximilianus, ad Jaurinum applicans, foſſas & vineas à Sinane Baſſa obrutas reparat, & pontem per Danubium ducit, ut commeatus in caſtra pervehi eo commodius poſſet. Palfius Strigonio obſidionem hanc promoturus, duas equitum turmas, unam viginti uno, & alteram ſexaginta tribus equis conſtantes, emittit, quarum prior illa juxta ſtagnum nō procul à Buda, trecentos fere Turcas dormiētes opprimit, multiſq; trucidatis, duodecim captivos una cum generoſis aliquot & rebus variis onuſtis equis,

Stri-



Strigonium reducit. Altera Turcas undecim & 26. equos acquirit. His autem feliciter domum reverſis, equites alios emiſit, qui in caſtra Tartarorum irrumpētes, ducentos circiter trucidarunt, domumq; poſtmodo reverſi tantum tres ex ſuis deſiderarunt.

Interea vero dum obſidionem ad Jaurinum Archidux urget, non parū damni Chriſtianis ex monte Martini illatū eſt. Turcę enim noſtros in pabulationem egreſ- Caſtellum in monte Martini à noſtris occupatū.

greſſos, graviter ſubindè afflixerunt & læſerunt, itaque hoc cognito, Archidux Bernſteinium cum tribus Germanorum millibus, & Collonitſium cum mille aliis, expugnatum caſtellum illud dimiſit. At vero Turcę viſis iſtis copiis, poſt unam atq; alteram tormenti diſploſionem, per poſticum ſeſe clam ſubducentes in ſylvam proximam abdiderunt. Caſtello noſtris relicto, qui militibus illud ſuis probę firmarunt.

Cæterum Sultanus 26. Septembris die, quadraginta militum millia in ſubſidium Jaurinenſibus deſtinat, Vaccium item per horas quinq; obſidet, & partem exercitus ad Martini montem mittit, quibus tamen ibi moram nectere, operæ precium viſum non eſt. Quamvis autem laboribus nullis Chriſtiani ad Jaurinum hactenus pepercerant, tandem tamen, cum Turcarum numerus longe major Chriſtianorum numero eſſet, & in caſtris hoſtium, centena millia, in noſtris vero vix viginti millia, reperirentur, Turcæ præterea etiã Strigonium obſidione cincturi dicerentur, conſultum Archiduci, ſoluta ad Jaurinum obſidione, caſtra ſua Comorrham transferre, viſum eſt.

Temeſwaria obſidione fruſtra cingitur.

Interea vero, dum Jaurinum obſeſſum erat, Tranſylvaniæ princeps Temeſwariam obſidione cinxit. Cumque Turcę Villeccium propugnaculum, metu pterriti, deſeruiſſent, multis illud armatis muniendum & firmandum Tranſylvanus cenſuit.

Sed & Georgius Barbelus Gionætum cum quinque armatorum millibus obſeſſum, & à Turcis paulo poſt deſertum occupavit, cumq; locum hunc præſidio novo firmaſſet, ad Temeſwariam ſimiliter, Tranſylvano auxilium laturus progreſſus eſt. Nihil autem proficere

pro-



propter exortum ſubito frigus in caſtris illis valentes, vaſa conclamare & obſidionem ſolvere coacti ſunt.

Menſe Decembri Agrienſes Turcæ in prædam egreſſi, currus jam viginti ſex rebus variis onerarunt, cũ ſupervenientes ex improviſo Sethſchinenſes, currus illos recuperant & quinquaginta duos Turcas, in quorum numero & Homar Aga fuit, captivos ſecum abducunt.

Eodem menſe Valones quidam, Jaurinenſium Turcarum centenos aliquot in pabulatione deprahendẽtes cædunt, & quadraginta ab eis currus acquirunt.

Anno 1598.

SUb initium Februarii, Andreas Botſcajus, Turcas mille & quingentos aggreſſus, partim trucidavit, partim captivos abducit, inter quos etiam Sangiagh Bega occubuit.

Iaurinũ à noſtris expugnatur.

Die 20. Martii, Dominus à Princenſtein, Jaurinum verſus cum aliquot navigiis contendit, quem Schwartzenburgicus continuo ſecutus eſt. In ipſa autem expeditione, vivus ſtatim aquila Ducibus ſeſe illis oſtentans, ad veſperam uſque juxta aciem volitavit. Sed & aves majores aliæ militibus apparebant, & ventus vexilla omnia hoſtem verſus propellebat, quod veterani q̃dem milites bonum omen interpretati ſunt. Die 29. Martii exercitus omnis, circiter horam tertiam matutinam ad propugnaculum congregatus ſeſe in terram ne ab hoſte conſpiceretur, abjecit. Mox deinde vapor quidam denſus ex Danubio elevatus lunam prorſus obſcuravit, quo facto Schwartzenburgius, implorato divino auxilio, oppugnationem ſequenti ordine aggreſſus eſt: principio, ubi ad propugnaculum ventum eſſet, Fabacurtus cum centum armatis progrederetur, & exoſtrã ſive machinam disjiciendis portis inſerviẽtem, portæ adhiberet.

Mox deinde Magiſter Fabricę, eum exoſtra ſive machina majori, ſequeretur, eamq; portæ majori admoveret. Eam apertam Fabacurtus cum armatis ſuis, occuparet, & inde uſq; ad latus fornicis alterum progredere-



deretur. Hunc ſubpræfectus ab Obernburg, è veſtigio, cum duobus Valonum, & duobus Gallorum ſignis ſecutus, plateam, quę ad aream ſive forum ducit, occuparet. Inde ſignum Gallorum & Valonum aliud ſequeretur, ſeq; ad latus à porta dextrum, in proximam quæ illis ſeſe prima aperiret plateã diſponeret, operamq; omnem daret uti aream majorem occupare & in proximas ab utraque areæ parte plateas perrumpere poſſet:
poſt-

poſtmodo univerſus Hungaricus peditatus ſequeretur, ſeq; vel dextram vel ſiniſtram verſus, ad vallum & munitiones reciperet, imprimis vero daret operam uti Caſtella Cæſarea, & quæ ab utroq; latere verſus portam Belgradiam excurrunt occuparet. Hungaricas copias, qui ſub D. Lopes militabant, comitarentur, ſeq; ſimiliter in vallum reciperent Porro Stralſaldus cum militibus ſuis, ſiniſtram verſus pergeret, areaſq; & loca patētia occuparet, nec inde diſcederet, niſi forſitan hoſtis hanc vel illam tanto impetu invaſurus cohortem eſſet, ut ſubſiſtere non poſſe viderentur. Eo enim caſu auxilium ipſis ut mitteretur, imperatū erat. Porro Schwartzenburgius cum reſiduo Gallorum, Valonum & Germanorum exercitu in forum ſe reciperet, unde univerſis & ſingulis opem ferre & ſuccurrere quam optime poſſet. Hunc ſequeretur Monſianus de Alvi cum equitatus ſui turma, & forum ſimiliter occuparet.

Monſianus de Werlinga interſtitium illud quod inter vallum & ædificia ad portam aquariam uſq; tueretur, ne ubi vires ſuas colligeret locus hoſti ullus permittetetur. Palfius tandem cum Huſaris ſuis agrum circa propugnaculum, dum victoriam Deus noſtris largiretur, defenderet. Loca hæc omnia quilibet occupare tenebatur, pœna capitis ſecus facientibus propoſita. A deprædationibus autem ſinguli abſtinere cogebantur, donec propugnaculum plenarie expugnatum eſſet, ut ita hoc facto, præda omnis æqualiter inter milites diſtribueretur. Cæterum aurigæ omnes cum curribus ante propugnaculum ſubſiſterent, nec inde ſine expreſſo mandato diſcederent. His ita conſtitutis, Schwartzenburgius, vitam & ſanguinem ſuum forti-

ter pugnando impendere pro ſalute exercitus promittebat. Statim igitur Domino de la Mars, primæ exoſtræ ſive machinæ negotium commiſſum eſt, qui cum ad cataractas ligneas portæ Belgradiæ veniſſet, machinam illam ſponte ſua diſſipatam animadvertit. Progreſſus autem, pontem quidem verſatilem dimiſſum vidit, ut ad portam vero pervenit, metus eum ſubito tātus invaſit, ut machinam portæ admovere non poſſet, ſed pedem re infecta retrahere cogeretur. Fabacurtus igitur occultato equitatu ſuo pontem navigiis parari jubet, ut ſi forte conatus ſuus irritus eſſet, periculum tamen commode evitaret. Antequam autem machinā portæ admoveret, Turcas amice compellans, mulierem ſeſe formoſam admodum, & non parum commeatus afferre, nimiſq; antequam dies illuſceret, eam civitati inferre velle dicit, paratam interea machinam accendit, quæ ignem tamen concipere noluit. Turcæ vero hoſtem eum eſſe videntes, recedere ſtatim, ni male multari vellet, imperant, moxq; ad tormenta converſi, quindecim vicibus diſploſionem repetunt, unde tres Chriſtiani proſtrati occubuerunt. Fabacurtus vero, cum machina illa prior flammam non admitteret, ad alteram converſus eſt, quæ ignem facile concipiens priorem etiam illam accendit, magnoq; impetu portam cardinibus avulſam ad jactum lapidis uſq; in urbem protrudit. Chriſtiani igitur vi magna irrumpentes, trucidatis excubitoribus, tormenta occuparunt & contra Turcas uſurpare cœperunt, qui manibus ſeſe vel ſeminudi quamdiu poterant tuebantur. Erant in urbe quadringenti plus minus canes, latratus tamen ex illis, quod Chriſtianorum præfectorum aliquis arte

quadam ora ipſis præcluſerat,auditus nullus eſt. Ex Turcis mille & ſexcenti, Chriſtianorum vero quingenti fere ceciderunt. Virgines mulieresq; Turcicæ non paucæ per muros ſeſe in Danubium præcipitarũt. Compoſito aliquo modo tumultu cum in loco quodã ſubterraneo cõcamerato centeni aliquot Turcæ latere animadverterẽtur,ut ſe captivos dederẽt moniti ſunt, cũque id facere modis omnib.recuſarent,& vero Chriſtianorum ad ſe irruptionem vererentur, conjecto in cados aliquot tormentarii pulveris igne, ſe & omnes irruptionem molientes,in aerem diſſiparunt. Præter hos autem trecenti alii in loco quodam ſubterraneo alio reperti,ad diligentem Palfii petitionem,in poteſtatem Chriſtianorum ſeſe dederunt.

Cæterum cum omnia ex noſtrorum ſententia compoſita eſſent,accidit,ut Turcæ alii cum commeatu Jaurinum deſtinato advenirent. Animadvertentes id igitur noſtri, quietos ſeſe admodum & tranquillos geſſerunt,amicoſq; ſe Turcarum ſimulantes omni apparatu potiti ſunt.In propugnaculo hoc, ſeptingenti equi generoſiſſimi,armatura varia,ſeptem Cameræ farina repletæ, mellis item, oryzæ, & carnium apparatus ſatis copioſus,argenti præterea auriq; ſignati in turre arcis, & Currus Zebelinorum Martiumq; non pauci inventi ſunt. Porro cum dies jam quatuordecim in propugnaculo noſtri fuiſſent, omniaq; ſe quam diligentiſſime perſcrutatos eſſe putarent,tandem ex ſono & repcuſſione, de concameratis quibuſdam ſub terra locis, indicium facientes,plus argenti auriq; in locis illis ſubterraneis, quam in ædibus invenerunt. Erat enim ibi argentum aurumq; tam ſignatum quam non ſignatum copio-

copioſum admodum,farinæ item,mellis,potus Turcici,panis bis coƈti,ſalis, aliarumq; ad vitæ neceſſitatem pertinentium, affluentia maxima, ſed & in ſubterraneis iſtis locis,ſeptuaginta quinq;,atq; ita in univerſum centum & nonaginta quinq; tormenta ænea reperta, & quædam adhuc alia poſtmodum ex diſſipata & diſieƈta Camera ſunt.

Globorum præterea,30.40.&50 libras habentium, ingens inventus eſt numerus. Cum vero ad Cæſarem de hac tam exoptata viƈtoria perlatus nuncius eſſet, ſignificari Schwartzenburgio juſſit,omnem illam,auri, argenti,equorum & aliarum in propugnaculo inventarum rerum prædam,inter milites,ſecundum uniuſcujuſq; virtutem & fortitudinem, diſtribuendam eſſe. Sic igitur propugnaculum hoc, quod annos tres & menſes ſeptem Turcæ haƈtenus tenuerunt,tandem iterum in Chriſtianorum,poteſtatem redaƈtum eſt,pro quo inſigni beneficio, viƈtoriaq; admodum mirabili, Deo Opt.Max.gratiæ immortales debentur.

Die 22. Aprilis,prædatores centeni aliquot Sexardũ verſus quod duodecim miliaribus à Buda diſtans Caſtellum eſt, excurrentes, cum dimidio adhuc miliari inde abeſſent,occultantes ſeſe,in inſidiis ad veſperam uſq; latitarunt. Poſtea admotis tribus oppugnatoriis Scalis, cum ducenti vel circiter ſuperata munitione portam aperuiſſent, omneſq; ingreſſi Caſtellũ eſſent, Turcas armata manu invadentes,omnes præter Begã, quem Domino Palfio vivum poſtea tradiderunt, cædunt,& ſequenti die,arce tribus locis accenſa,non vulgaribus onuſti ſpoliis domum reverſi ſunt. Sexardum à prædatorib. exuſtũ.

In reditu,arcem etiam, cui Vayda nomen eſt,diſtra-

ctamatq; diſſipatatam,funditus deleverunt.Sub finem Aprilis, centum Huſari Pappenſes, in Turcas Belgradienſes quadringentos,qui currus vario commeatu onuſtos octuaginta,Koppenum verſus agebant, irruentes,illis interceptis omnibus,multos trucidarunt,& cũ triginta duobus captivis, equiſq;, quos nacti fuerant, quadraginta octo,læti hilareſq; domum redierunt.

Menſe Majo,cum Turcæ Caniſienſibus & Bobotſienſibus, de victu & rebus neceſſariis aliis, proſpicere vellent,idq; Chriſtianis tempeſtive innoteſceret, in aciem egreſſi,pugnam cum eis,medio inter Caniſam & Bobotſiam loco commiſerunt,cæſiſq; mille & quingẽtis,curribuſq; quinquaginta apparatu vario onuſtis,occupatis, ſalvi & incolumes redierunt.Circa hoc tẽpus, Chriſtiani Jaurino egreſſi, in non exiguam Turcarum cohortem inciderunt,initoq; ſtatim cum eis prælio,fuſis fugatiſq; quam plurimis, ſeptuaginta duos captivos ſecum abduxerunt.

Prædatores ſimiliter Mohatſiam noctu invadunt, Turcas mille trucidant, pecudes 470.acquirunt,& ex viginti ſeptem navigiis,bonis variis onuſtis, optimum quodq; abripiunt,navigiis ipſis cum bonorum reſiduo, in Danubium ſubmerſis.

Menſe Junio Comes Serinius cum trecentis militibus,Turcas octingentos aggreſſus, trecentis & amplius cæſis,ſeptendecim captivos abducit.

Eodem fere tempore ſeptingenti Tartari, Temeſwariam verſus profecti,in itinere vires ſuas adeo auxerunt, ut ad aliquot millium numerum brevi temporis ſpatio aſcenderint. Poſtquam autem ad Thonatum ſecuri & hinc inde varie diſperſi ſubſiſterent,centeni aliquot

quot Tranſylvani in eos irruentes, 250. trucidant, centum captivos, Sebuſium Tranſylvaniæ abducunt.

Menſe Julio Chriſtiani motis ad Comorrhā caſtris, cum tormentis mediocribus ſedecim, Totiſam verſus profecti arcem illam primo Auguſti die adeo concuſſerunt, ut abſq; ſcalis turrim alteram conſcendere poſſent. Turcę quidem Merſeburgium, cui per ſortem deſignatum irruptionis negotium erat, ter rejiciebant, verum ipſe repetita iterum irruptione, propugnaculo tandem trucidatis ducentis fere Turcis, per Dei gratiam potitus eſt. Totiſa à Chriſtianis expugnata.

Hoc facto, Geſtes à Chriſtianis occupatum eſt, Turcis eo deſerto diſcedentibus. Similiter & Veſerinum. Cumq; inde ad Falotam noſtri progrederentur, Turcæ ſimiliter deditione facta, inde diſceſſerunt. Tormentorum igitur in Caſtellis hiſce & pulveris nitrati non parum noſtri acquiſiverunt. In ſola enim Falota, quatuordecim tormenta, & viginti pulveris centenarios invenerunt. Sed & Tſaccocia & Vales & Thiar, Caſtella à noſtris tunc occupata ſunt.

Menſe Auguſto ingens Sigethi incendium, ſeptem ſimul locis ex improviſo exortum, commeatus plurimum, homineſque ex omni ſexu, & captivos non paucos perdidit.

Menſe Septembri, Prædatores circiter ducenti, Comorrha, & centum Huſari Strigonio, Budam verſus in prædam egreſſi, oves ſeptingentas plus minus obtinuerunt.

Sed & præfectus ab Herberſtein, Lencovitſius, & Banius, vires ſuas conjungentes, cum mille & quingentis armatis, in perniciem Turcarum excurrerunt. Tā-

etſi vero Turcæ hac de re tempeſtive admoniti, duo millia in occurſum ipſis miſerint, à quibus ſubito oppreſſi delerentur: Styvi tamen, quorum non amplius trecenti tum numerabantur, tãta alacritate in eos moverunt, ut Turcis trecentis fere trucidatis, totidem, inter quos Haly Aga etiam fuit, captivos Chriſtiani abduxerint.

Porro vicum etiam Zerniccium Chriſtiani eodem tempore diripientes. Turcas quadringentos cædunt, Chriſtianos captivos quadringentos & amplius liberant, & innumeros pecorum variorum greges acquirunt.

Die quinto Octob. Chriſtiani ſuburbium Budenſe à Tartaris inhabitatum, quemadmodum & pomerium ejus, quarto die poſt, vehementi impreſſione, mille & quingentis Turcis in hoc conflictu trucidatis, expugnarunt.

Die 12. Octobris, Palfius, Caſtello, cui Potentiana nomen eſt, expugnato, Turcas circiter trecentos trucidavit.

Anno 1599.

SUb initium Januarii prædatores quidam Comorrha, Budam verſus excurrentes, in centum Turcarũ, novum Baſſam, Budam deducentium, cohortem inciderunt, eosq; fere omnes trucidarunt. Inde progreſſi navem quandam Turcicam diripuerunt, & tria inde vexilla prætoria acquiſiverunt.

Menſe Martio, Wallachiæ Princeps quindecim fere Turcarum millia in regione ſua deprehendens, octingentos plus minus cędit, & Sanſiagem Beglium, exerci-

ercitus illius ductorem captivum cum multis aliis abducit, reliquis ex regione ſua fugatis & ejectis omnibus.

Similiter vero & à ſubpræfecto Strigonienſi ducenti & quinquaginta milites Walam miſſi, Turcas nihil minus cogitantes opprimunt, tormenta undecim lucrantur, nonaginta duos, una cum uxoribus liberiſq; captivos Strigonium 28. Martii traducunt, Caſtello igne accenſo & vaſtato.

Menſe Aprili Tolnam ſubito opprimentes Chriſtiani, Turcarum plurimos trucidarunt, & captivum Olai Beglium cum omni commeatu & apparatu ſecum abduxerunt.

Die 10. Maii, Dominus à Schwartzenburg ad Albã Regalem circiter horam ſecundam matutinam applicans, exoſtram ſive machinam portæ admovit, eaque cardinibus evulſa, cum copiis ſuis erumpens, omnes fere in lectis & cubiculis adhuc conſtitutos, & nihil tale metuentes oppreſſit atq; trucidavit. Quamvis autem machina illa poſtmodo ad arcis etiam portam admoveretur, cum tamen terra eam ſubito obruiſſent, irritus conatus omnis fuit. Chriſtiani igitur pecuniam, pecudesq; & apparatum omnem, quem in ſuburbiis invenerant, ſecum auferentes, ędificia incendio deformarunt.

Alba Regalis fruſtra obſeſſa.

Pręſidiarii interea Sendra erumpentes, Turcas Tartaroſq; quadringentos numero, qui ſtipendium Agrienſibus numerandum vehebant, trucidarant, & Beglium quendam cum generoſis aliquot equis, aureiſq; 200000. ſecum abduxerant.

Eodem Menſe, duo Chriſtianorum millia, excurſione

ſione Budam verſus facta, cum in horto quodam mulieres Turcicas complures cum liberis ſuis ludentes & nihil tale metuentes inveniſſent, cōpræhenſas omnes ſecum abduxerunt. Turcæ vero hoc animadvertentes, civitate mox, ſubſidium ipſis laturi erumpunt, verum ducenti eorum cæduntur, & Gimbliæ Aga miſere vulneratus captivus abductus eſt.

Heiducci Solnoccam verſus excurrentes octingentas ex paſcuis oves abigunt. Cum Beglius ejus loci ſe eis opponeret, in fugam ſtatim vertitur, triginta quinq; Turcis in captivitatem delatis.

Menſe Junio Chriſtiani Comorrha egreſſi, ad Caſtellum Bitſch nomine contendunt, trucidatiſq; præſidiariis Turcis omnibus, captum Beglium diſſecant, & cum inſigni præda domum revertuntur.

Die 3. Julii, Dominus à Schwartzenburg, eques à Cæſare factus, & multis muneribus ornatus eſt. Eodem menſe, mille & ſexcenti Heiducci, in octo milliū Turcarum cohortē incidentes, multis trucidatis, triremes duas, navigia vero plurima variis bonis onuſta acquirūt. Sed & expugnato Sergardinio Caſtello, Turcas q in eo erant omnes trucidarunt, & Chriſtianos 417. qui captivi ibi detinebantur, liberarunt.

Poſtquam Schwartzenburgicus de opprimendis aliquando Budenſibus conſilium caperet, ſed propter impedimenta quædam in actum illud producere non poſſet, accidit, ut Solymannus Baſſa Budenſis, animi recreandi gratia, cum triginta equis, civitate egreſſus, ad tranſitum quendam forte ubi Heiducci noſtri ſtationem ſuam habebant, veniret, & à ſuis, fugam ſtatim arripientibus, deſertus, in captivitatem abduceretur.

Nono

Nono Auguſti Heiducci Filleca & Setſchino egreſſi, Solnocam media nocte conſcenderunt, Beglium una cum uxore & liberis comprænhenſum abduxerunt, & commeatu ſimul, Agriam tum transferendo, potiti ſunt, propugnaculo igne accenſo & vaſtato.

Die 22. Auguſti Paulus Niarius, Varadini majoris Præfectus, Sarckatum propugnaculum obſeſſum expugnat, Turciſq; octuaginta trucidatis, imbellem mulierum & liberorum gregem, cum multa præda captivum abducit.

Die 24. Septembris Palſius milites aliquot emiſit, qui cum in octuaginta equites, & quinquaginta pedites, ut & currus aliquot, apparatu vario onuſtos ad Vezirem Baſſam agentes, forte incidiſſent, fuſis & fugatis illis, viginti octo capita, & quatuordecim captivos, cum Beglii vexillo & quinquaginta equis, Strigonium traduxerunt.

Porro centum & quadraginta octo Chriſtiani equites, in ducentorum & quinquaginta Turcarum cohortem incidentes, triginta quinq; trucidatis, tria vexilla acquirunt.

Menſe Novembri Lucca propugnaculum in poteſtatem Schwartzenburgici tranſiit, qui idem etiã paulo poſt Ballantvariam armata manu expugnavit.

Turcæ igitur qui Copani & Caſtati erant, videntes, quod Chriſtiani duo iſta propugnacula jam tenerent, ſtatione ſua ipſimet etiam deſerta abierunt.

Porro Capoſverum progreſſi, male admodũ à Turcis excepti ſunt, non ſolum enim Merſeburgicus glande plumbea in brachio percuſſus eſt, ſed & Dominus à Kynsky & cum eo ducenti alii trucidati occubuerunt.

Cum autem aliquando oppido erumpentes Turcę magno numero Chriſtianos perſequerentur, & vero eorum non pauci in inſidiis poſt carecta laterent, factum eſt, ut inſcio etiam præfecto, ex inſidiis progreſſi, propugnaculum occuparent.

Sub finem hujus menſis mille Comorrhæi & Prædatores, ad octodecim miliaria infra Budam excurrentes, Tartaros in caſtris opprimunt, maxima parte cædunt, quadringentos Chriſtianos captivos liberant, & ampla admodum ſpolia domum reportant.

Anno 1600.

DIe 22. April. Palfius in arce ſua, cui Biberſbergo nomen eſt, ardenti febre correptus, vitam cum morte commutavit.

Menſe Aprili, Nicolaus Horbathus Comitis Serinii Weida, & Andreas Thuſſius, cum 450. armatis, verſus Sancti Nicolai Caſtellum excurrentes, fortunam ſuam experiri volebant Baſſa autem Sigethanus in Nicolaũ Horbathum ex improviſo irruens, tanta eum vehemẽtia oppugnavit, ut Nicolao quidem cum paucis evadere vix licuerit. Poſtquam autem prædictus Baſſa, hoſtẽ nullum veritus prædam agere inſtituiſſet, ſuperveniẽs Andreas Thuſſius, Baſſam, qui cum ſuis equo deſcenderat, oppreſſit, eumq; invadens, cum univerſo Comitatu occidit.

Menſe Majo, Prædatores Comorrha, Strigonio, aliiſque ex locis, numero 2500. egreſſi, Comboram vicum diripuerunt. Inde Eſſecam Dravi progreſſi, ſpoliis non exiguis ibi potiuntur. Turcæ igitur in propugnaculis vicinis id animadvertentes 5000. numero conveniunt,

niunt,tormentaq; triginta vulgaria in unum conferũt. Quamvis autem Turcarum major potentia eſſet, Prædatores tamen noſtri tanto eos robore invaſerunt, ut novum illum Sigethanum Baſſam, una cum duobus Begliis,& armatis aliis quingentis trucidarint,& innumerabiles alios vulnerarint,ex ſuo autem numero, nõ niſi quinquaginta amiſerint.

Menſe Junio Heiducci Baſſam Jamikam, qui Albã Regalem,Budam,Sigethum& loca alia commeatu explere volebat, deprehendunt, navigia quatuordecim acquirunt,& quingentos Turcas occidunt.

Eodem hoc tempore Sendreenſes, Filleccii & Lippenſes, conjunctis viribus, ita ut, mille & octingenti numerarentur,Julam verſus excurrentes,ignem in oppidum conjiciunt. Turcæ vero,tanto inde metu conſternuntur,ut ſeſe ipſos per tumultum exponte in foſſas arcis propellant. Noſtri igitur acriter labori inſiſtẽtes,Turcas ſexcentos,equos centum, & ſpolia ſatis ampla acquiſiverunt, ducentis ſimul Chriſtianis captivitate ſua liberatis.

Poſtquam autem Valones aliqui in Pappa, adverſus Præfectos & magiſtratum ſuum adeo inſurrexiſſent, ut propugnaculum iſtud,pacta deceſſione libera,pro certa pecuniæ ſumma,Turcis tradere conſtituerent, Petzius primo cum quadringentis equis,ut à malo iſto ꝓpoſito eos abſterreret,ablegatus eſt,quem ipſi nõ modo non audierunt, ſed tormentis inſuper & ſclopetis acceſſione prohibere conati ſunt.

Hoc cum Schwartzenburgius cognoviſſet, Dominum à Scharffenſtein,die 22.Junii, Jaurino,cum tribus armatorum millibus, ſcalis, machiniſq; aliis ad coher-

cendos Valones iſtos ablegavit, quos 24. poſtmodũm die inſultantes, tantum abfuit, ut proditores iſti rejecerint, ut etiam acceſſum ipſis ultro patefecerint, accedite fratres, clamantes, propugnaculum enim veſtrum eſt, & nos à partibus veſtris ſtamus. Valones autem interea aſcendentes trucidarint miſere & interfecerint. Prçterea trecenti Valones in molendinis hinc inde occultati, non parum damni noſtris intulerunt. Glande autem plumbea percuſſus in hoc tumultu eſt ſubpræfectus primarius, Hannibal Krætz ab Scharffenſtein. Primarius vero fabricæ magiſter, Della Margeſe, nunquam poſtea repertus eſt. Die 21 Junii, quinq; ex ſeditioſis hiſce Valonibus compræhenſi, & capillo veſtituque more Turcico ornati, Jaurinum captivi miſſi ſunt.

Die 12. Julii, Dominus à Schwartzenburg cum equitum peditumq; novem millium exercitu, Pappam obſidens, Valones tormentis & bombardis varie oppugnat, qui neglecto omni iſthoc conatu, urbe aliquoties egreſſi exercitum proſternunt varie & compræhẽſum præfectum aliquem, vivum excoriant, caputq; ejus haſta transfixum, ante propugnaculum exponunt.

Domin. à Schwar. tzenburg, glande plumbea trajectus moritur.

Die 29. Julii Valones Pappa erumpentes, multos Mœrſeburgicos milites in excubiis conſtitutos, qui vino ſeſe maxime ingurgitarant, trucidarunt. Dum igitur Schwartzenburgicus, caſtra obequitando, aciem inſtruere conatur, glande plumbea per caput trajectus, occubuit, cujus corpus Jaurinum ſtatim delatum, & Viennæ poſtmodum honorifice ſepultum eſt.

In locum Schwartzenburgici, Melchior à Rœdern ſucceſſit, qui tertio ſtatim Auguſti die, quamvis nõ admodum firma valetudine uteretur, in caſtra ad Pappã profectus eſt.

Die

Die 9. Augusti proditores propugnaculo, antequā dies oriretur egreſſi, deceſſum per ſtagnum aqua nudatum moliebantur, id animadvertentes præfecti, Solmenſis, Turrienſis, Collonitſius & Nadaſtius, cum equitatu ſuo, tribus in eos locis moverunt, & ducentos, qui inter fruticeta ſeſe occultarant comprǣhenderūt. Collonitſius vero Valonum Ducem Della Nota qui in captivitatem concedere modis omnibus recuſabat, glande plumbea percuſſum interfecit. Subpræfectum & alios qui muneribus apud Valones præerant, compedibus vinciri, & ad examen reſervari, reliquos vero vario ſuppliciorum genere affici Dominus à Rœdern curavit. Maxima pars haſtis affixi, rotis impoſiti, uncis ferreis diſtracti, lento igne cremati, varie diſſecti; aceto, ſale, pipere, liquefacta pice, pulvere nitrato & ejuſmodi rebus aliis conſperſi, collotenus item in terram defoſſi, perierunt. Colligati autem & in circulo conſtituti, ſociorum ſupplicia intueri, ſpectantium ſarcaſmos audire, & donec ipſi etiam ad ſupplicia varia raperentur, cum timore & tremore expectare cogebantur. Petrus Orſius proditorum quendam, in excavatam arborem inſutum, ita ut caput ſolum ejus promineret, tribus horis aſſavit, & exſecta ejus pudenda, reliquis, quorum crura rota collidenda erant, devoranda obtulit.

Valones in Pappa variis ſuppliciis afficiuntur.

Die 19. Septembris, ducenti Turcæ, Rockenſpurgum verſus excurrerunt. His Scrinius Comes cum equitatu ſuo obviam proceſſit, illisq; maxima parte trucidatis, octuaginta captivos Chriſtianos liberavit.

Caniſia à noſtris deſerta.

Menſe Octobri Turcæ Caniſiam tanto impetu aggreſſi oppugnarunt, ut Chriſtiani, propugnaculum illud deſerere coacti ſint.

Poſt dies autem pauculos, octavo nempe Novemb. Herberſteinius, Hochkirchius & Collonitſius præfecti, in caſtra Turcica tanto impetu moverunt, ut duobus millibus trucidatis, quatuordecim tormenta, & centum bubulos, inde acquiſierint.

Sexto Decemb. die, Dominus à Schwartzenburg, generalis militiæ ſubpræfectus, Viennæ honorifice ſepultus eſt.

Ultimo Decemb. Turcæ, Copernoccum incendio vaſtarunt, & quicquid hominum pecorum q; compræhendere potuerunt, ſecum abduxerunt.

Anno 1601.

HOc Anno magna annonæ caritas per Turciam extitit, eamq; peſtis mox ſecuta homines paſſim graviſſime afflixit.

Monſtrum in caſtris natum. Die 29. Auguſti, Tympaniſtæ cujuſdam, ſub præfecto Seybolsdorffio, uxor, infantem enixa eſt, cui facies gemina, tribus oculis fœdata, extitit. Unum enim oculum in fronte, & duos ab utroq; latere: Os ſimiliter leporina forma geminum, & aures duas habuit. Dorſum inſtar lucii diſſectum apparebat. Pectore vero, manibus item pedibuſq;, humanam formam referebat, ex ore autem dentes quaſi leporini prominebant.

Alba Regalis à noſtris expugnata. Nono Septem. Ruſwurmius equitum magiſter, deliberato cum præfectis reliquis conſilio, Albam Regalem obſidione cinxit. Ut vidit autem propugnaculum ſive arcem primariam expugnari, niſi ſuburbiis prius expugnatis occupatiſq;, non poſſe, ex captivis Turcis, ruſticiſq;, qua parte arx illa firmiſſima videretur, quæſivit, cumq; verſus Sigethanum ſuburbium firmiſſimam

eſſe

eſſe cognoſceret, propterea quod paludibus ea parte admodum profundis, & dimidium ferme miliare latis cincta eſſet, prȩmiſſo uno atq; altero ex militibus an ſuperari paludes iſtæ poſſent, tentavit, qui cum eas facile ſuperaſſent, mille alios, lignorum arundinumq; faſciculis inſtructos, quorum beneficio profundiores lacunæ explerentur, ablegavit, qui nocte ea, horis nempe novem, periculo omni ſuperato, ad Sigethanum ſuburbium feliciter applicarunt. Ortus interea dies eſt, ut quieſcendi & vires ſuas aliquo modo reparandi poteſtas ipſis non daretur, periculum enim erat ne à Turcis præſentiam eorum animadvertentibus opprimerentur, itaq; ſublato ingenti clamore ſuburbium illud invadit. Turcæ metu perculſi, relictis rebus omnibus ad oppidum confugiunt. In hoc tumultu ſex Chriſtiani, in paludibus vero octo ſaltem perierunt. Progreſſi autem noſtri, alterum etiam ſuburbium occuparunt. Oppidum ipſum firmiſſimo ſepimento & profunda admodum foſſa munitum erat. Cum igitur ſequenti nocte, ad ejus expugnationem ſeſe noſtri converterent, Turcæ initio illud crebra tormentorum diſploſione, & multa ſaxorũ projectione, tueri ab incurſione noſtrorum conati, ſed tandem tamen in arcem confugere coacti ſunt. Rusvvurmius occupato oppido, arcem ſtatim germano milite obſedit, & 11. Septembris die cum duodecim tormentis concutere tanta vehementia cȩpit, ut ingreſſum duobus ſimul locis ſibi patefaceret. Hoc facto fiſſuram alteram Starnbergius cum quinq; militum ſignis obſervavit, alteram vero Altheimius & Grisbergius Bavarici exercitus præfectus, per irruptionem occupare conati ſunt. Turcæ quidem initio tor-

mentis

mentis ſaxiſq; eos avertere,& ſe tueri per horam integram ſatis ſtrenue videbantur,tandem tamen, ut mœnia noſtri conſcenderant, pedem paulatim retrahere, & relictis munitionibus in loca paludoſa ſeſe præcipites dederunt, quos noſtri poſtmodum interceperunt & in captivitatem abduxerunt. Septuaginta fere, inter quos & Beglius quidam fuit, ex ædibus pugnantes,ſatis diu ſe tutati ſunt,verum cum pulvere tormentario, cujus partem in domibus frumentariis, partem in arce, partem in templo & locis aliis repoſitam habebant,deſtituerentur,proficere nihil potuerunt. Quin imo,pulvis tormentarius in arce repoſitus,cum ignem neſcio quo caſu concepiſſet,ædificia arcis omnia deformavit, & Turcas ſexaginta,cum triginta Chriſtianis in aerem diſſipavit. Sed & ducenti Turcæ per arundinetum elapſi ſunt,quos Collonitſius tamen retraxit, & in vincula conjectos abduxit. Expugnata igitur hac ratione Alba Regali,mulierum liberorumq; Turcicorum ingens numerus Jaurinum delatus eſt,Beglio Viennam abducto & reliquis trucidatis omnibus.

Porro Turcæ in Tſikar & Tſokokor,arcem hanc amiſſam eſſe videntes,in Chriſtianorum ſtatim poteſtatem tranſierunt.

Die 28. Septembr. Præfectus Zengius,Beglium ex Lyka,nocte oppreſſit,tentoria ei omnia eripuit, centũ & quinquaginta equos,veſtimenta item & arma plurima, cum magna præſentis pecuniæ ſumma, & duobus millibus pecorum capitibus abduxit,& multos captivos Chriſtianos liberavit.

Anno

Anno 1602.

SErdar Mahomet Gemiſtochius, Vezirem in Hungaria Anno ſuperiori agens, apud Sultanum accuſatur quod propter tardiorem ejus cum exercitu profectionem, Alba Regalis amiſſa ſit, unde factum, ut Cōſtantinopolim captivus traduceretur.

Die 26 Februarii, Comes Serinius, in Turcarum ſexcentorum commeatum Caniſiam vehere volentium cohortem, incidens, ducentos fere trucidavit, & ſexaginta captivos, cum equis & curribus plurimis abduxit.

Anno 1603.

DIe 17. Maii, Turcæ Tartariq; in prædam egreſſi, mille & amplius pecudes, prope Jaurinum paſcentes, acquiſiverunt, & multos Chriſtianos in captivitatem abduxerunt.

Poſtquam Calil Baſſa de affinis ſui Capi Agæ, qui decollatus fuerat, bonis, quadringenta coronatorū millia, clam retinuiſſet, de mandato ſtatim Sultani, capite truncatus periit, uxor autem & liberi ejus, cum univerſa familia, in carcerem conjecti, & bona ejus omnia fiſco applicata ſunt. Mamuthes Baſſa hoc cognoſcens, ad ſeditioſos in Aſiam cum ſuis concedere ſtatuit, verum manifeſtato ſtatim conſilio ejus, una cum Capi Agæ ſubpræfecto in quatuor partes diſſectus eſt.

Cæterum cum ſeditio illa in Aſia vires indies majores acquireret, ita Babyloniæ etiam Baſſa, ſeditioſis ſe conjungeret, de pace cum eis facienda Sultanus cogitans, Præfectum ſeditioſorum Boſnæ Baſſam conſti-

 tuit.

tuit. Videntes igitur in Aſia præfecti, perfidos illos & maleficos tantis honorum titulis augeri & ornari, ſe vero, qui vitam & fortunas ſuas hactenus pro ſalute Sultani impenderant, negligi, & nullam ſui rationem haberi, tanta adverſus eum ira accenſi ſunt, ut de filio Sultani natu majori, ad imperium promovendo deliberationem ſuſceperint, idq; eo magis, quod Sultanũ in imperii adminiſtratione ſocordem eſſe, & nunquam in bellum procedere viderent. Conſentiens in hanc deliberationem Sultania, Aſtrologum quendam acceſſit, & uti thema cœli filio ſuo majori erigat, expetit. Is voluntati Sultaniæ parens, perfectum thema per Eunuchum ei tranſmittit, & uti bono animo ſit, filium quippe ſuum, ad clavum imperii evectum, & diademate Imperatorio ornatum, brevi viſura, admonet. Verum ſomnium hoc malum ſortitum eſt exitum, literæ enim interceptæ ad Sultanum ſtatim deferuntur, qui Eunuchum, Sultaniamq; cum filio iſto, & quinquaginta viris primariis aliis, laqueo ſuffocari curavit.

Moſes Zecclerorum Dux, 30. Maii die Clauſeburgum obſidet, & poſt modicam præſidiariorum reluctationem occupat, illi enim quamvis invito præfecto, ea conditione, ut decedere ſibi liceret, deditionem fecerunt. Moſes igitur milites quidem ſalvos & incolumes dimittit, præfectum vero illum, qui in deditionem cõſentire noluerat, in quatuor partes diſſecari jubet. Porro Viſeburgum etiam, poſt trium ſeptimanarum obſeſſionem, occupat, & inde ad Samoſvivariam, quam Georgius Baſta tenebat progreſſus, deditionem ejus ſibi fieri expetit.

Perquam opportune autem Radulenſis Princeps offi-

officii illius quod Baſta contra Tartaros ſibi aliquando præſtiterat, memor; octo armatorum millia, in ſubſidium ei mittit, quo viſo Moſes re infecta diſcedit, tribus millibus in occurſum Radulenſi, qui tranſitu & acceſſu eum prohiberent, ablegatis. Marſa Valachorum præfectus, cum octingentis militibus quaſi fugam facturus, ſtationem ſuam deſerit, qua occupata Zecclerii, prædam magna lætitia inter ſe diſtribuerunt. Verum enimvero dum hilares iſti periculum nullum verentur, ecce converſus ſubito præfectus, omnes fere ad unum cædit, inter quos deinde Moſes etiam ipſemet, mortuus repertus eſt.

Turcæ interea Albam Regalem, incredibili cum Reipubl. Chriſtianæ damno recuperant. Poſt menſiũ enim aliquot obſidionem, cum noſtri militem & alimoniam non ſemel introducere in urbem fruſtra conati eſſent: Sigethanum tandem ſuburbium 12. Augusti die, à Turcis occupatum fuit, cæſis fere præſidiariis omnibus, qui magnam partem Heiducci erant, Germani enim ægre ſe in oppidum receperant, quod Turcæ ſequentibus diebus aliquot tanta contentione oppugnarũt, ut gregarii milites, abjecta ſpe defẽſionis, inſciis tribunis & ductoribus, cum hoſtibus de deditione agere cœperint, quæ dum tractatur, Valones perfidi & Janitſari muros ſcandũt & in oppidum erumpunt, obviis quibuſq; trucidatis, & reliquis in caſtra abductis, qui tamen poſtea ſalvi dimiſſi ſunt, ductoribus ſolummodo & tribunis, qui in deditionem conſentire noluerant, in cuſtodia reſervatis. Nacti ſunt Turcæ in propugnaculo iſto, præterquam quæ ibi fuerant, decem tormenta ænea, & pulveris tormentarii, ſaliſq; & pecu- Alba Regalis à Turcis recepta.

 niæ

niæ non contemnendam copiam. Cæterum noſtri ut jacturam hanc compenſarent, Peſtam occupant. Eſt ea ex adverſo Budæ ſita civitas, quam ponte huic conjũxerant Turcæ, ut commeatus hinc inde transferri, & auxilia ultro citroque ſummitti commodius poſſent. Noſtri igitur animadvertentes ponte rupto, & interclufo commeatu, minus difficilem fore urbis oppugnationem, navigia aliquot ꝑno alveo demittunt, ad quorum conſpectum Turcæ magno numero in põtẽ provolant, & noſtros telis globiſq; frequentibus petũt. Interea Comes Sultzenſis terreſtri itinere profectus, aquaticum oppidum cum ſociis occupat, & Turcas, qui pontem propugnabant dejicit, inq; fugam compellit. Hoc facto reliqui pontem partim ſcindunt, partim ſcalis ad Peſtam applicatis, urbem invadunt. Conſternati Turcæ, ubi circumventos ſeſe vident, deditionem offerunt, ſed noſtri calidos adhuc animos continere non valentes, magnam præſidiariorum ſtragem ediderunt. Illi ergo in loca urbis munitiſſima ſeſe conferunt, ſed cum noſtros ingruentes viderent vitam modo pacti, cum uxoribus liberiſq; ſeſe dedunt, idem à Budenſibus quoq; præſidiariis ſeſe impetraturos promittentes.

Alba regali per Vetzirem Baſſam expugnata, cum exercitum Conſtantinopolim reducturus jam in itinere eſſet, admonetur ab aliquibus, Chriſtianos, dum ad Albam regalem occupatus eſſet, Peſtam expugnaſſe, converſo ſtatim itinere, ad propugnaculum hoc applicat, caſtraq; ibi cum viginti armatorum millibus metatur. Verum cum alimentis adeo deſtituerentur, ut equos etiam ſuos in cibum abſumerent: intempeſta

tan-

tandem nocte, motis caſtris, Belgradum diſceſſit, Chriſtiani, exorto poſtmodum ſole, ut caſtra militibus evacuata viderent, quinquies mille numero, Adonium verſus, ubi Budenſes commeatum ſuum reponere ſolebant, profecti, tanto illud furore aggrediuntur, ut deditionem Turcæ facerent. Paulo poſt Budenſes commeatum advehere conantur. Verum Chriſtiani ea de re maturè admoniti, Peſta erumpunt, currus quadraginta acquirunt, Turcisq; plurimis trucidatis, non paucos in captivitatem abducunt.

Equitum in Peſta magiſtro ſignificatum hoc tempore eſt, primarios aliquot Turcas, una cum duobus Baſſis, & nobili natis genere mulieribus, ad thermas, quæ non procul à Buda ſunt, profectos eſſe, itaq; aſſumptis ſclopetariis aliquot militibus, per glaciem Danubii ad thermas itidem proficiſcitur, omnes nihil tale metuentes opprimit, & ad puerum uſq;, qui præfecti cujuſdam Turcici filius eſſe dicebatur, interficit. Mulieres vero balneo exſilientes, fugam ſtatim nudæ arripuerunt; quibus ob verecundiam à noſtris parſum eſt, qui Turcis illis ſanguine proprio pollutis, relictis, Peſtam iterum reverſi ſunt. Fames interea Peſtæ, ob alimentorum defectum tanta ingruit, ut caneſq; & feles, & quid non? in cibum aſſumerent. Budenſes vero Adonium ſeſe profecturos, ſimulantes, quingentos currus commeatu vario onuſtos in urbem inferunt. Inde Palottam occupatum egreſſi à noſtris ita excipiuntur, ut cum dedecore ad ſuos redire neceſſe haberent. Caſparo Horvatio, qui præfectum Palottæ tum agebat, impoſitum in orbiculo ſalem, & lagenulam vino repletam, uti quam cepiſſent hac venatione feram cōdirent,

& in ſalutem ſuam pocula quædam evacuarēt, eis mittente. Irritati hoc dedecore Turcæ, tormentis Peſtam quatere incipiunt, verum illis ita diſpoſitis, ut pilæ & globi ædificia ne contingere quidem poſſent, ſed ſupra civitatem abriperentur, detrimenti noſtris nihil illatum eſt. Accidit autem ut igne per imprudentiam in pulverem tormentarium delapſo, Turcę plurimi in aerem diſſiparentur & mœnia civitatis concuterentur. Hoc cum Altheimius cognoviſſet, aſſumptis Germanis Huſariſq; mille, Heiduccis vero trecentis, impreſſionem facturus, eo cōtendit. Verum Turcæ de conatu noſtrorum tempeſtive edocti, urbe erumpunt, multiſq; trucidatis, captivos aliquos ſecum abducunt.

Princeps Radulenſis interea, Turcas Silliſtria in pabulationem egreſſos cognoſcēs, trajecto magna celeritate Danubio, oppidum diripit, accendit, & tredecim ad Georgium Baſtam, quę inde acquiſierat vexilla trāſmittit.

Menſe Julio Chamus Tartaricus, legatione ad Poloniæ Regem deſtinata, tributum ſibi dari, tranſitumque permitti petiit, cumq; tributum quidem ſibi promiſſum, tranſitum vero denegatum intelligeret, per Radulenſis principatum erumpere vi maxima conatus eſt, qui hoc animadvertens, in occurſum novis illis hoſpitibus contendit, & duobus præliis, tria fere Tartarorum millia proſternit. Tertio autem prælio iterum congreſſi, poſt trucidatos ab utraq; parte plurimos, tādem vi ſumma perrumpit, caſtra ad Quinqueccleſiam metatur, & agricolas uti pecuniam & farinam pro copiis ſuis ad arcem Caniſiam deferant, compellit. Sed & Styriam invadens, loca paſſim omnia direptionibus infeſta

feſta reddit, pagos viginti incendio deformat,& mille homines cum innumerabili armentorum pecorumque grege abducit.

Collonitſius porro qui non ita pridem in equitem à Cęſare cooptatus fuerat,cum copiis ſuis Caniſiam verſus proficiſcitur, cumq; quadringentos Heiducos ꝓpugnaculo egreſſos videret,inito cum eis prælio, ducentos cędit,centumq; & triginta in captivitatem abducit.Caniſienſes ut damnum hoc aliquo modo ulciſcerentur,Gallum quendam qui à Chriſtianis defeciſſe ſe ſimulabat,ad ſe invitant,ſperantes ſe hoc ductore ad caſtra Collonitſii perventuros, & Chriſtianos facile oppreſſuros eſſe. Gallus autem ille animadvertens, Caniſienſes circa commeatum propugnaculo inferēdum occupatos eſſe,ſuppoſito variis locis igne,ingens incendium excitavit,quo tota arx,ab una parte, & q̧cquid ibi repertum eſt, conflagravit, multis ſimul tormentis ſubverſis. Turcæ plurimi ab incendio ſibi metuentes,clam propugnaculo ſe ſubducunt,ſed à Collonitſio compræhenſi cæduntur.

Interea dum ad Caniſiam hæc fiunt,Turcæ Tartarique magno numero Alba regali erumpentes,mille pecorum capita,cum Chriſtianis plurimis abigunt, verū maximam tamen partem Huſari,ad pontem uſq; Albæ Regalis Turcas perſequentes, recuperant.

Collonitſius paulo poſt Comorrham verſus profectus,in duorum millium Turcarum cohortem incidit, cæſisq; quingentis fere,vexilla aliquot acquirit, Ducēque eorum compræhenſum Pragam poſtmodo abducit.

Hoc facto Turcæ Boſnenſes conjunctis cum Chamo

mo Tartarico viribus, munitiones octo & pagos plurimos depopulantur, comprahenſisq; octo Chriſtianorum millibus, innumeras ſimul pecudes Quinqueccleſiam verſus abigunt.

Sed & Collonitſius cum copiis ſuis progreſſus, Laccam diripit & accendit. Inde Pallantuam occupatam trecentis Heiduccis munit. Tantum autem prædæ in locis hiſce duobus invenit, ut currus quos habebat bonis illis omnibus avehendis non ſufficerent, quemadmodum etiam tredecim vexilla hoſti erepta ad Cæſarem paulo poſt tranſmiſit.

Menſe Septembri, Huſari in prædam egreſſi, centum & viginti ſeptem equos acquirunt. Sed & Comes Sultzenſis cum trecentis ſociis in centenos aliquot Turcas & trecentos Janitſaros movens, qui cum ſeditioſorum Duce ex Aſia nuper Chriſtianorum caſtra viſuri advenerant, fuſis fugatiſq; quamplurimis, primarios eorum Duces in captivitatem abducit.

Die 23. Menſis hujus, Vetzier Baſſa, mille Camelos, apparatu vario onuſtos, verſus Albam Regalem ablegat, ut noctis beneficio Danubium trajicere, & Budenſibus de commeatu proſpicere poſſet. Ut autem hoc eo commodius fieret, pontem in Adonia Inſula per Danubium traduci curavit, præſidiumq; ei firmiſſimũ addidit. Verum Ruſwurmius de hoc conatu edoctus, in occurſum hoſtibus tendit, equitatumq; abſq; ullo labore in fugam vertit, & quamvis Janitſari reſiſtere aliquandiu noſtris viderentur, attamen cum ſupervenientes mille pedites, clamorem ingentem excitarent, diſtracto ſtatim ordine, quaſi attoniti ad navigia properarunt, Chriſtiani igitur eos ſecuti tantam ſtragem

edi-

ediderunt,ut aqua Danubii ſanguine quaſi tincta appareret, & navigia quædam nimio onere preſſa mergerentur.

In hoc conflictu,primarius quidam Baſſa & Belgradienſis Beghius,una cum mille & quingentis Janitſaris occubuerunt,totidem.n.à noſtris,pręter eos,quos Danubius ſuffocatos abſtulerat,numerati ſunt. Cæterum ex quorundam captivorum confeſſione perceptum poſtmodo eſt,ſex millia peditum & quatuor millia equitum in pugnam egreſſos,jam vero de omnibus illis vix mille veſtimentis nudatos & armis exutos, domum reverſos eſſe.

Menſe Octobri Comites duo, Sultzenſis & Serinēſis, ſimiliter & Trautmanſtorffius in Lamaſcinorum pontem, duabus loricis munitū multiſq; navigiis cinctum, impetum vi ſumma faciunt. Turcæ repugnant initio, eumq; dum poſſunt,tuentur,tandem tamen lorica una relicta ad alteram tranſire coguntur. Quamvis autem per horas quinq; defenſioni ejus incubuiſſent, Chriſtiani tamen, ea tandem conſcenſa, Turcas ducentos trucidant,Pontem vi ſumma diſſipant, navigia exurunt,& tormenta quædam vulgaria in profundum mergunt.

Sub finem Novembris Comes Sultzenſis cum Ruſwurmio ad Hatuam applicantes,oppugnare ſtatim eā incipiunt. Turcæ fortiter noſtris reſiſtunt, acriterq́; dimicant, donec ad tormenta converſus Ruſwurmius, niſi deditionem facerent,eandem eos, quam ante ſeptenniū præſidiarii, fortunam experturos minaretur. Hoc audito, dimiſſionem pacti ſunt, & cum uxoribus liberiſq;, trecenti & ſexaginta numero,die 29. Novēb. *Hatua à noſtris occupata.*

Mm deceſ-

deceſſerunt, de ſupellectile ſua quantum portare unuſquiſq; poterat, ſecum auferentes. Noſtri eos Solnocam verſus comitati ſunt, propugnaculum autem ingreſſi, centum pulveris ſulphurei centenarios & 24. tormenta rotis impoſita, cum frumenti pecorumq; apparatu ſatis copioſo, invenerunt.

Eodem hoc tempore Begedes Baſſa cum quinq; armatorum millibus, Georgium Baſtam ex improviſo oppugnatum advenit. Verum is hac de re tempeſtive admonitus, tanto ei cum robore occurrit, ut mille & amplius trucidatis, plurimiſq; in Maruſa flumine ſubmerſis, fugam reliqui arripuerint.

Inter trucidatos duo Agæ reperti ſunt, prædæ vero inde noſtri non parum acquiſiverunt.

Porro ducentos noſtri Turcas Budenſes in pabulationem egreſſos, depręhendunt, trucidatoq; cum multis aliis Mohatſio Bega, Copanium Begam, una cum filio ejus, & 24. Turcis aliis, in captivitatem abducunt, centum & ſeptuaginta equis, & centum ſexaginta pecorum capitibus potiti.

Menſe Decembri, Ruſwurmius ſexaginta quatuor vexilla quæ à Turcis hactenus acquiſierat, ad Cæſarem tranſmiſit.

Anno 1603.

SUb initium Februarii, Legati quidam Turcici ad caſtra Collonitſii pertingentes, miſſos ſeſe à Sultano, ut pacem cum Chriſtianis faciant, aſſerunt, petuntq; ut oratores quidam Budam mittantur. Noſtri 15. hujus menſis die, Turcas Budæ ad ſolenne convivium invitant, quorum ſexcenti trajecto ſtatim Danubio, Peſtam

ad-

adveniunt,& prandio quod non procul ab urbe in tentoriis aliquot paratum erat, excipiuntur. Cognitum autem paulo poſt certiſſimis indiciis eſt, dolo hæc omnia & ſimulatione à Turcis facta, pacemq; ipſis cordi nequaquam fuiſſe. Nam non ſolum Peſtam, ſub pulchra amicitiæ ſpecie conſcendere videbantur, ſed & Buda, Albaq; regali,& Agria & propugnaculis aliis cōmeatu ſufficienti jam munitis, excurſiones denuo facere & prædam paſſim agere incipiebant, unde & noſtri, Turcas aliquot, trecentas circiter oves Albam regalem verſus agentes, in captivitatem abduxerunt.

Hoc tempore viginti Chriſtiani, interfectis cuſtodibus ſuis, captivitate ſeſe liberarunt.

Porro Turcæ Sigetho erumpentes Simninium Caſtellum noctu invadunt, Chriſtianos qui in eo erant omnes comprahendunt, caſtelloq; incendio deformato, domum revertuntur. Similiter & quingenti Caniſia erumpentes Limpacum diripiunt & exurunt. Cum autem in reditu eſſent, Comes Serinius, eos adortus, in fugam vertit, captivoſq; ex illis aliquos ſecum abducit.

Contra vero Heiducci Lippienſes, Belgradum verſus in prædam egreſſi, cum ad firmiſſimum in itinere Caſtellum Reſonium perveniſſent, eo conſcenſo, Turcas omnes, quorum octingenti numero erant, præter quadraginta, fuga elapſos, & octuaginta, in captivitatem abductos, trucidarunt, prædaq; ſatis opima potiti ſunt.

Sub finem Auguſti ſpectra duo rubra, Huſarorum æmulantia ſpeciem, diademate aureo & crucibus variis inſignita, apparuerunt, quæ dextra manu vexillum rubicundum, rubra cruce inſignitum geſtarunt, & per

 Patra-

Patractum fluvium, non ſecus ac ſi glacie obductus fuiſſet, equitarunt. Spectra hæc quingentis & amplius militibus, qui non procul à fluvio iſto ſubſiſtebant, viſa ſunt, quibus quid Deus monere & docere nos voluerit, tempus aperiet.

Peſta à noſtris deſerta in poteſtatē Turcarū uāſit.

Quomodo Turcæ Budenſes, amicitiam cum Chriſtianis inire, pacemq; facere ſimularint, paulo ante dictum eſt. Poſtquam autem non dolum tantum ſubeſſe noſtri, exemplis plurimis hactenus cognoviſſent, ſed & ad Jagenreuterum delatum eſſet, Vetzirem Baſſam cum decem Janitſarorum millibus, & innumera Tartarorum multitudine, in itinere jam eſſe, nec neſciret, eum de Peſta per vim recuperanda mandatum à Sultano accepiſſe: prævenire melius eſſe quam præveniri ratus, 5. Septemb. Die, cum quinq; peditum vexillis, & ſex equitum legionibus, Peſta egreditur, vaſis trecentis, farina repletis, & multis tormentis in ea relictis. Accenderat autem paulo ante præcipua civitatis ædificia. Cum igitur Turcæ Budēſes viſo incendio, neminem, qui extinguendo adeſſet, conſpicerent, advolantes ſtatim urbem occupant, extinctoq; incendio reparant & munitionibus novis firmant.

Idem hoc etiam Palantuariæ præfectus, accepto de Turcici exercitus adventu nuncio, facere conatur, ſed in Turcas incidens capitur, copiæq; quas ſecum ducebat omnes fere trucidantur.

Comes Serinenſis interea, trecentos plus minus Turcas ad Sigethum offendens, omnes fere trucidavit.

Die 24. Septemb. Strigonium Turcæ obſident, armataq; manu oppugnant, ſed à Chriſtianis magna vi

reji-

rejiciuntur,qui dum perſequendis hoſtibus plus juſto inſiſterent,in inſidias Turcicas inciderunt, unde prælium ſubito ingens exortum eſt,quo ex noſtra quidem parte, Caſimirus Comes ab Hohenlohe,una cum centum militibus aliis,ex parte vero Turcarum ſeptingenti vel amplius ceciderunt.

Non pôterant ea veſpera noſtri,trucidati illius Comitis corpus propugnaculo inferre, itaq; cum Turcæ illud inveniſſent, auribus capiteq; mutilatum, deformarunt. Accidit autem ut poſtero die primarius quidam Turca à noſtris caperetur, itaq; pro eo liberando, cadaver illud cum capite in propugnaculum remiſerunt.

Decimo Octobris, Turcæ ſoluta ad Strigonium obſidione,re infecta abierunt.

Cum Hatuani id cognoviſſent, convaſatis rebus precioſioribus omnibus, farina vero quam adhuc habebant,igne deformata,cum tormentis præcipuis deceſſerunt.

Poſtquam Bethlinus Habor,per Keckheres Baſſam, Princeps Tranſylvaniæ declarandus & in poſſeſſionē collocandus eſſet,juxta Themeſam fluvium cum quatuor armatorum millibus,quaſi extra periculum omne conſtitutus, ſubſtitit. Cum igitur Comes Tambierenſis hac de re certior fieret,aſſumptis Heiduccis plurimis, incautum opprimit, cæſaq; parte militum maxima,in tantas eum anguſtias cogit, ut non niſi interula indutus in aquam ſe præcipitaret. Comes inde duobus vexillis prætoriis & mille equis potitus eſt. Cæterum Baſſa Temeſwarienſis, hac de re admonitus, ſuppræfectum ſuum cum novo exercitu, ut Bethlinum juva-

 ret,

ret & Temeſwariam ſecum traduceret. Is poſt feſtum ſe venire videns cum Temeſwariam reducere exercitum vellet, in Heiduccos forte incidit, & ſub manibus eorum perit.

Poſthæc Thambierēſis, Julam verſus profectus Turcas plurimos prædam paſſim agentes invenit, & ad arcem uſq; perſequitur. Præſidiarii, quod metuerent, ne Comes in arcem irrumperet, portam aperire eoſq; intromittere recuſant, itaq; movens in eos Comes, ad unum omnes cædit, ſuburbiumq; incendio perdit.

Sub finem Septembris Heiducci, noctu in Chriſtianorum caſtra irruentes Carolum Collonitſium, Coppelium & Pettingerum, Auſtriacarum copiarum præfectos pugna laceſſunt. Et Koppelio quidem cum ſuis fere omnibus trucidato, Pettingerum incendio perdunt, circum ejus enim ſtationem ignem extruxerant, ut qui fugam meditarentur, incendium evitare nō poſſent Collonitſius igitur, & ſi non parum hac ſociorum ſuorum clade perturbaretur:

Cum præſertim, & equum ſuum glande plumbea percuſſum corruere videret, arrepto tamen ſtatim alio, animos ſuorum ad pugnam, cordata admodum oratione accendit, moxq; tanto in Heiduccos impetu proruit, ut propriis manibus quatuordecim interficeret, totamq; eorum cohortem in ſylvam proximam conjiceret.

Heiducci poſtmodo Tartaris permixti Covarem, ex oppoſito Strigonii ſitum oppidum, diripiunt, Germanoq; in ea milite omni interfecto, ædificia igne deformant.

At Radulenſis interea Princeps ex Valachia erumpens,

pens, primariam Botſgaii arcem, quatuor miliaribus Varadinio diſtantem, Kercium nomine, occupat & Chriſtianos aliquot, qui captivi in ea detinebantur, in libertatem aſſerit.

Nocte ea, quæ 28 Septembris diem anteceſſit, Strigonii, iris, tota cruenta & ſanguinea, in nubibus viſa eſt, quæ ſupra Coccetam primum, deinde ſupra Strigoniũ, & ſupra ſancti Thomæ montem ſe extendens, tandem iterum evanuit.

Anno 1604.

Rebus humanis exempto Mahomete Sultano Turcico, Achmates filius ejus, vix novem annos natus, ad imperium evectus eſt, qui antequam coronaretur, Janitſares ſibi conciliarat, magna pecuniæ ſumma inter eos diſtributa, poſt coronationem vero in aureo curru per civitatem, uti ab omnibus conſpiceretur, vectus eſt. Cum de bello Perſico admoneretur, nõ ſolum Oratorem illum Regis quem Pater ſuus diu captivum detinuerat, dimiſit, ſed & Baſſam Alepienſem, pacem cum eo factum ablegavit. *Achmates Sultani filius patri in imperio ſuccedit.*

Decimum ætatis annum ingreſſus, variolis corripitur, & per dies quatuordecim in lecto detinetur. Conſiliarii interim de ſalute ejus deſperãtes, accerſitum juniorem ejus fratrem mittunt, ut adeſſet qui eo extincto in imperium ſtatim ſuccederet. Verum enimvero ut convaluit iterum Sultanus, diadematis loco, funem ei dedit, quo paulo poſt in crucem actus & ſuffocatus eſt. Cęterum ne propter ęgritudinem iſtam ſiniſtri aliquid de ſe Janitſari ſuſpicarentur, equum ſibi elegantiſſime parari juſſit, conſcenſoq; eo ſemel atq; iterum per civitatem

tatem equitavit, probare hac ratione ſubditis ſuis volens, ſe ad bellum gerendum, non ineptum futurum eſſe. Idem hoc & in venationibus obſervari licuit, feris enim perſequendis ad multam uſque noctem operam dedit. Cumq; à Baſſa uno atq; altero, uti à perſequendo ceſſaret & finem tandem venationi faceret, admoneretur, dicto nequaquam audiens invidere eos ſibi honorem ſuum profeſſus eſt.

Cum cognoſceret Baſſam illum, qui parentis ſui temporibus, Vetzirem Hungariæ egerat, fortiter dimicando, egregie admodum officio ſuo functum eſſe, vexillum ei, & cæſtum ſolido auro conſtantem donavit, inque officio eum iterum confirmavit, qui accepta hac remuneratione non parum lætatus eſt, tormentorumque omnium diſploſionem B. lgradi fieri curavit. Sic igitur Sultanus hoc tempore Ciccalam quidem Baſſam, bello Perſico, Vetzirem vero Hungarico gerendo præfecit.

Cæterum hoc Anno Turcæ Peſtam, Polantuariam, Hatuam & propugnacula quædam alia iterum recuperarunt.

Anno 1605.

DIe 21. Januarii Bathinajus copiarum trans Danubium præfectus, Palantwariam, centum & viginti quinq; Turcis interfectis occupat, propugnaculumq; quod ſatis munire non poterat, ſolo æquatum deſtructumq; relinquit.

Menſe Aprili nuncium Comorrhæi accipiunt, Begedem Baſſam Budenſem, cum ſeptendecim curribus, pecunia boniſque aliis onuſtis, Buda egreſſum eſſe, &

Botſ-

Botſcajum Chamiq; Tartarici filium inviſere conſtituiſſe. Cum igitur Baſſa iſte in itinere ſecurus omnino pgeret, & periculi nihil metueret, Comorrhęi eum ſubito opprimunt, ſtragemq; non exiguam edunt. Baſſa curru deſiliens, equum ſtatim conſcendit, armaq; corripiens, ſe tueri modis omnibus conatur, verum trajecta per ſiniſtrum pectus glande plũmbea, mortuus in terram decidit. Adſunt ſtatim Turcæ, elevatumq; terra corpus auferre ſecum conantur. Verum Comorrhęi corona cinctos effugere non permittunt, ſed maximā parte cæſa, reliquos in captivitatem abducunt. Bonis igitur omnibus occupatis, Baſſam capite truncant, illudq; Comorrham ſecum auferunt. Baſſæ hujus gladiũ veſtemq; rubram Attalicam poſtmodo Pragam ad Cęſarem noſtri tranſmiſerunt.

Menſe Auguſto, qui Vicegradum & Novigradum tenebant Præſidiarii, cum commeatu deſtituti, ſublevationem ſperare nullam poſſent, facta deditione in Turcarum fidem tranſierunt.

Die 24. Septembris Turcæ Sancti Thomæ montem occuparunt, in quo tumultu multi veterani milites, atque inter illos, Oetingenſis etiam Comes, & Reichenavius ſubpræfectus, cæſi occubuerunt.

Menſe Octobri, Strigonienſes præſidiarii, Dampierenſi Comite, qui præfectum ibi agebat, in carcerem conjecto, propugnaculi deditionem fecerunt, quos Turcæ armatos, explicato vexillo, cum bonis quæ portare poterant omnibus, Comorrham dimiſſos comitati ſunt. Strigoniũ Turcis deditum.

Altenburgum Hungariæ ab Heiduccis noctu conſcenſum & direptum eſt. Non poterant autem arcem

tam cito ſuperare, itaq; Solmenſis Comitis præſidiarii, auxilio eis venientes, arcem conſervarunt.

Menſe Decembri, ſeditioſorum turmæ aliquot, ad Hidwegum congregati, noſtros in caſtris ſubito opprimere, conantur. Verum noſtri de conatu hoc tempeſtive admoniti, excubias diligenter agunt, adventáteſque ita excipiunt, ut tergum vertere quamprimum cogerentur.

Anno 1606.

MEnſe Majo Sagmariæ, quod ſuperioris Pannoniæ oppidum eſt, duo monſtra, nata in lucem ſunt, alterum ex vacca duobus capitibus & octo pedibus præditum erat: quorum caput alterum Urſinum, alterum vero Caninum fuit, pedes vero partim leonum, partim vitulorum referebant ſpeciem. Alterum monſtrum ex ove prodiit, capite humano præditum, cujus pedes anteriores manus humanas referebant, poſteriores vero ovium aliarum pedibus ſimiles erant.

Ultimo Maii, fulmine tacta eſt turris quædam in ꝓpugnaculo Budenſi, cū igitur pulvere tormentario ea repleta eſſet, eo ignem concipiente, turris diſſipata, octingētos homines partim occidit partim graviter vulneravit.

Die 15. Junii Turcæ, Alba Regali excurrentes, Waidam de monte Sancti Martini ceperunt, quod cū Waida Bretſlavius audiviſſet, cum copiis ſuis eos ſtatim ꝑſecutus, cæſisq; mille & quingētis, tria Turcarum millia in captiuitatem abduxit, & ſex millia Chriſtianorum, qui captivi fuerant, liberavit.

Eodem hoc tempore incendium Cōnſtantinopoli in Platea Judæorum exortum eſt, quō octingenta ædificia con-

cia conflagrarunt, & mille quingenti homines perierunt, ita ut damnum illud ad quatuor milliones auri computaretur.

Circa 28. Auguſti Prodromus Turcicus, Budam, & perfidus quidam Gallus, Moncartus nomine, cum tribus Tartarorum millibus Peſtam advenerunt. Vetziris autem relicta ad Paxiam claſſe ſua, Caſtella duo deſolata Samboccam & Wahalam ultra Totiſam, Budam & Albam regalem verſus reparari, novumque aliquod in Polgaramio monte extrui curavit. Inde ad nuptias Baſſæ Budenſis, quæ octavo Septembris celebratæ ſunt, profectus eſt. Aderant ibi etiam à Botſcajo legati, q. Vezirem ab obſidione nova dehortabantur. Propterea quod futurum eſſet, ut pax cum Auſtriacis, Hungarisq; & Turcis conſtitueretur. Eo enim fine Illishaſcium cũ Georgio Humanojo, Franciſco Magotſio, Sebaſtiano Tocelio, Staniſlao Turſo & ducentis aliis, ita ut in univerſum quadringenti numerarentur, quos quinquaginta Huſari & tubicines alii præceſſerint partim, partim ſecuti ſint, Viennam nuper adveniſſe dicebant.

Sub initium Septembris, cum legatis hiſce Hungaricis, in pacis negotio diligentiſſime agi cœptum eſt, internunciis ſubinde ad Botſcajum, qui tum temporis morbo correptus decumbebat, ablegatis, & articulis omnib. præter eum, q. religionis negotium cõcernebat, q̃ liberam omnino Hungari eſſe volebãt, acceptatis & approbatis. Interea Altheimius cum Gallo Cçſare & ſex currib. ad idem negotiũ cum Turcis tractandum ꝓfectus eſt. Die 14. Septem. Pax inter Cæſarem & Hungaros facta omninoq; confirmata eſt, quamvis non ſine difficultate maxima: Tametſi enim jam antea conclu- *Pax inter Cæſarem & Hungaros facta.*

ſum eſſet,ut religio in genere omnib: libera relinqueretur, Hungari tamen generale illud religionis vocabulum diſputando, in ſpecie petierunt, ut Luhteranæ, Calvinianæ & Pontificiæ religionum exercitia libera haberētur,nec pacis q̃dem finiri tractatio potuit donec petitioni eorum ſatisfactum eſſet. Sequenti die Hungari legatum quendam Budam ad Serdarem Baſſam miſerunt,eumq; de tranſacto pacis negotio, ne q̃d novi moliretur,certiorem fecerunt. Propter negotiū hoc tā feliciter finitū die 24.Septem. Viennæ in S. Stephani templo ſolennes Deo gratiȩ,Sancto illo,Te Deū laudamus,hymno decantato,actæ ſunt.

Die 22.Sept. Altheimius Viennam reverſus,inducias ſeſe ad dies aliquot cum Turcis pactum eſſe dixit, ut pacis negotium,cujus ꝓpter Perſarum & ſeditioſorum in regno Ottomannico turbas varias,appetentes admodum (ſed tacite tamen,ne id noſtri perſentiſcerent) erant,interea eo rectius pertractaretur.

Die 6 Octob. Georgius Turſo Nicolaus Iſthuan,Joannes Mollartus & Altheimius,Cȩſareȩ Majeſt.legati, ad pacis tractationem cum Turcis ſuſcipiendam,ꝓfecti ſunt,quibus Sigefridus Collonitſius & Budianus cū exercitu,ſiquidem Turcis ꝑ omnia nondū fidendū erat, adjuncti ſunt. Duxerunt a. ſecum utrumq; Budenſem Baſſam,Solimannū nempe,q̃ per annos ſeptem in Cæſarea Viennenſi arce captivus detentus fuerat,& Alim Baſſam, ſericeis & coccineis veſtibus elegantiſſime indutos,& duab præſidiariis navib.impoſitos,quos currus ſex,cū munerib Sultano offerēdis,florenis nimirū 100000. vaſis aliquot argenteis & artificioſo admodū horologio,ſecuti ſunt. Die 21.Octo. Gallus Cȩſar cum præ-

præfectis quibuſdam Mansfeldicis egreſſus, locum pacis tractationi conveniẽtem ſeſquimiliaris itinere, ſub Comorrha elegit, qui ita comparatus erat, ut omnium triũ partium, Cæſaræi nempe, Hungar. & Turc. legati, rapidiſſimis fluminib. ab invicem ſeparati, conſultationib. operam dare, & nõ niſi navigiorũ beneficio convenire poſſent Die 25. Octob. Legati quidem Cæſarei, cũ turmis Mãsfeldicis, mille Hohenloicis & q̃ngentis Bucheimicis equitib. ſimiliter & Illishaſcius cum procerib Hungaris ad deſtinatum locũ ſeſe cõtulerunt, quos deinde ẽt Turcæ cum 24. navigiis ſecuti ſunt, ſingulis ad deſtinata ſibi loca concedentib. Die 9 Novem. pręmiſſis variis ab utraq; parte tractationib. pacis tandem negotium confectum & juramentum ab utriuſq; partis legatis præſtitum eſt, obſidibus in confirmationem utriq; parti traditis Hoc facto Turcæ noſtros 12. Octob. die ſplendidiſſimo convivio exceperunt, & Baſſa quidẽ Budenſis ꝓcerum aliquot, nempe Mollartum, Altheimium, Turſium. Iſtuanſium, Collonitſium, Budianum, Endeodem, Gallum Cęſarem & Eleſchium, ſingulos, ſingulis equis generoſiſſimis, reliquos a. nempe Teufſelium, Dotzium, Pograineum & alios panno Attalico & Damaſceno, donavit, cumq; milites Mãsfeldici durãte convivio ſcloporum & bombardarum diſploſione tertium repetita, voluptatem aliq̃ & oblectationẽ Turcis aliq̃ feciſſent, ducentos ipſis Joachimicos Alim Baſſa dono dedit, quos præfectus tamen Mãsfeldicus accipere recuſavit, Germanum quendam captivum muneris loco ſibi dimitti expetens, q facile q̃dem obtinuit. Baſſa. n. paulo poſt, & captivum illum, & ducentos illos Joachimicos inter milites ſclopetarios diſtribuendos, abſq; ulla tergiverſatione miſit, verum pręfectus reten-

Pax cum Turcis facta.

to captivo,pecuniã iterum remiſit.Sequenti 13.Octob. die ob conſtitutã cum Turcis pacem Comorrhæ in tẽplo ſolennes Deo gratiæ,ſacroſancto illo, Te Deũ laudamus, hymno, adhibitis tubis tympaniſq; & muſicis inſtrumentis aliis,actæ ſunt,tormentorum diſploſione tertiùm repetita,quod idem etiã Neuheuſeliæ & à Turcis Strigonii habitantib.factum eſt. Articuli a.de quib. inter partes in hac pacis tractatione convenit ſequentes fuerunt. Principio ſub adventum utriuſq; partis legatorum,nõ niſi patris & filii appellationib. utantur, Sultano quidem Cæſarem noſtrũ patrem,Cæſare vero noſtro eum filium nominando.

Deinde in literis utrinq; mittendis, Imperatoris,nõ Regis titulis utãtur.Tertio,pacis negotio ẽt Tartari & nationes aliæ compræhendãtur, ne quid finitimis regnis damni ab eis inferatur.Quarto.Uterq; Imperator id agat ſedulo,ut Hungaria & provinciæ ad Hungar.pertinentes aliæ,una cum omnib.ad domum Auſtriacam pertinentib.in pace conſerventur.Et ſi Hiſpaniæ Regi placeat hac pace compræhendi,neutra pars repugnet.

Quinto,ab excurſionib.& depopulationibus utraq; pars abſtineat,relicta cuilibet poteſtate,piratas & prædones comprehendendi,ſeq; invicem,de dato per depopulatores,ſi qui forte extiterint,damno admonendi ut & delinquentes puniãtur,&bonorum abalienatorũ reſtitutio,damniq; compenſatio fiat.

Sexto, Arces & propugnacula nulla ratione,ſive clam ſive palam expugnentur,multo minus vero vel pecudes vel homines in captivitatem abducantur, relictis Botſcajo omnibus quæ in tractatione Viennenſi,ipſi attributa fuerant.Septimo,captivi utriuſq; partis dimittantur,maxime tamen ii,qui pugnando ſtrenue in captivitatem

tatem inciderunt, reliqui vero vel permutatione, vel lytri ſolutione præſtita, libertatem conſequantur.

Octavo Contentionibus vel cis vel trans Danubiũ forte exortis, à præfecto Jaurinio, Baſſa Budenſi, Sclavoniæ præſide, aliiſq; militiæ præfectis componantur. Quod ſi vero res majoris momenti ſit, quã, quæ ab illis tranſigi poſſit, ad utrumq; Imperatorem referatur.

Nono. Propugnacula & caſtella diruta reparare, utriq; parti liberum ſit, nova vero excitare utriq; interdictum. Decimo. Amurathes Serdar Baſſa, Oratores cũ munerib. ad Archiducem Matthiã mittat. Undecimo. Imperator noſter, ducentorũ millium florenorũ mun⁹ Conſtanſtinopolim quãprimum deferendũ curet, Sultano ſimiliter ſplendidã quandã legationem, cum precioſiſſimis munerib. Pragã mittente. Duodecimo. Pax hæc ad viginti annos, facto à 1607. anno initio, conſtituta ſit, ita tamen ut exacto ſemper triennio, oratores cũ munerib ꝓ libitu & facultatib. utriuſq; partis ad invicem mittãtur. Compræhendãtur vero ẽt ſub hac tractatione Cęſareę majeſta. heredes, & Regni Hunga. ſucceſſores, cum cõſanguineis poſteriſq; eorũ omnibus, ꝙ idem ẽt ex parte Sultani obſervetur. Decimotertio. Legati Cæſarei ubi Conſtantinop ꝑvenerint, æquum aliquid & juſtum à Sultano petant, ꝙ ipſe quidem eis non denegabit. Decimoquarto & quinto. Vaccium Chriſtiani retineãt & reſtaurent, Strigonium vero Turcis, una cum pagis ei ſubjectis omnib. relinquatur, ita tamẽ ut novo onere nemo gravetur, & ꝗ à tributi ſolutione liber ante hæc tempora fuit, immunitatẽ iſtã retineat, & Turcæ tributũ ſuum, nõ niſi ꝑ prætores & judices pagorum exigãt, niſi forte in mora illi ſint, & ſolutionem certo tempore non præſtent, quo caſu tã Turcis quam

Hun-

Hungaris, quod ſibi debetur exigere à debitoribus ſuis, in perſona liceat.

His ita peractis Baſſa Budenſis, nuncios tres Cōſtātinopolim ablegavit, & Sultanum de facta jam cum Chriſtianis pace certiorem fecit, qui magnam inde concipiens animo lætitiam, cum mille & quingentis Janitſaris, magnaq; ſubditorum multitudine, templū primarium ingreſſus, Mahometi ſuo ſolennes gratias egit, ſequentemque diem magna cum feſtivitate traduxit.

Die 18. Decemb. Mulier quædam ex Croatia oriunda, Eiſgrubii, qui duobus Poſonio miliaribus diſtans pagus eſt, infantem enixa eſt, uno capite, facie gemina, manibus quatuor, totidemq; pedibus præditum. Pater eum ſtatim ſtupefactus & pudore ſuffuſus, in ſterquilinium abſcondit. Cum autem ſuffocari non poſſet, eruere eum inde iterum jubentibus ita amicis coactus eſt, quo facto ſpiritum ſtatim emiſit & extinctus eſt. Monſtrum hoc Poſonium paulo poſt delatum, & de magiſtratus mandato, omnibus palam oſtenſum, tandemq; in templo ſancti Laurentii ſepultum eſt. Quid autem illud nobis ominis apportet, Deo omnipotenti conſtat, qui omnia imposterum ad optatum finem dirigat, mala quæq; ab Eccleſia ſua avertat, & piis omnibus pacem atque tranquillitatem conſtantem largiatur, ut ei ſervire in juſtitia & ſanctitate vera poſſint, propter Chriſtum Dominum & Salvatorem noſtrum.

Amen.

FINIS.

Aon 1474762

D. 33.